



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Lib. III. Decretalium. In quo agitur De Rebus, quae in iudicium devenire solent, cujusmodi sunt, de vita et moribus Clericorum, ...

Schlüter, Georg

Augustæ Vindelicorum, 1708

Quæstio XXVIII. In Tit. XXVIII. De Sepulturis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73045](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73045)

complures alii. Ratio hujus est ex defectu potestatis in statuente; nam tale statutum dirigitur in tempus, quo is, quem excludit à jure sibi competente, non est subditus statuentis; probatur, nam talis non redditur vi ejusmodi statuti successio- nis incapax, nisi sub conditione *assumpti status religiosi*; ergo non dirigitur in talem, nisi *pro tempore*, quo is *opere assumpsit sta- tum religiosum*, secuta nimirum profes- sione, seu emissione votorum, quibus verè ac propriè constituatur Religiosus; sed tunc non est subditus potestati laicæ, ut pluribus ostensum est *lib. 1. tit. 2. de Constit.* idque non tantum de Jure Cano- nico, sed etiam civili, & valde probabi- liter etiam divino, prout ibidem osten- sum est.

2374 Quare non infringitur argumentum dicendo: tales Principi laico non subesse quidem in spiritualibus; secus in tempo- ralibus; 2. dispositionem talis statuti non tendere directè in Professum, sed ejus Pa- rentes statuenti subiectos; 3. Id induci

posse consuetudine, ut taliter excludan- tur ingressi Religionem; ergo & statuto. 4. Id usu, & consuetudine plurium loco- rum jam esse receptum, & consequenter Canonibus in contrarium nitentibus esse derogatum. Ad hæc enim omnia jam respondimus *lib. 1. tit. 2.* unde negatur, quòd tale statutum liberos religionem profitentes inhabilitans ad successionem non tendat in eos *directè*, accedit, quòd sub pœna excommunicationis, nec indi- rectè quidem in præjudicium talium per- sonarum à Laicis statui possit. Quod de Consuetudine dicitur, & universum, consuetudinem in materia, quæ inepta sit, ut possit esse materia legis, esto etiam ineptam, ut recipiatur *loco legis*, aut ha- beatur *pro lege*, ut diximus *loc. cit.* illa potrò consuetudo passim reprobatur à sa- cris Canonibus, & potius est usus, *coactè*, contra Ecclesiasticorum, imò & ipsius Ecclesiæ voluntatem præceptivam intro- ductus, de qua certum est, non posse sal- vâ conscientiam recipi *pro lege*.

QUÆSTIO XXVIII. IN TIT. XXVIII. DE SEPULTURIS.

2375 **H**ic titulus habetur etiam in Sexto, Clementinis, & Extravaganti- bus; subjungitur prioribus, qui- bus actum est de successio- nibus tam ex testamento, quam ab intestato. Sepultura verò tripliciter sumi potest, 1. pro loco, in quo quis sepultus, vel sepe- liendus est; 2. pro jure, quod quis habet, ut sepeliatur in tali loco; 3. pro ipso officio, seu actu sepeliendi, quod tumulandis ca- daveribus impenditur. Sepultura primo modo sumpta idem est, quod sepulchrum, quo continetur omnis sepulturæ locus, dicitur non à *seorsim pulchro* propter re- cordationem doloris, sed à sepeliendo, sicut simulachrum à simulando; denotat enim locum, in quo corpus, ossaque ho- minis sepulta sunt, *L. 2. §. purus autem ff. de relig. & sumpt. fun.* Ex sepulchris alia sunt *familiaria*, quæ quis sibi, familiæque suæ constituit, *L. 5. ff. de relig. alia hare- Tom. III.*

ditaria, quæ quis sibi hæredibusque suis constituit: vel quæ paterfamilias jure hæ- reditatio acquisivit, *L. 5. & 6. ff. eod. tit.* his præmissis:

ARTICULUS I.

De Sepultura Ecclesiastica.

2376 **S**I loquamur de sepultura, in quantum sumitur pro ipso loco, in quo cada- ver hominis defuncti sepultum, aut sepe- liendum est, supponend. 1. eum locum jure civili dici *Religiosum*, in quem, do- mino sciente, & non contradicente, illa- tum est corpus hominis mortui, ut in eo perpetuò sepultum maneat, *L. 2. C. de Re- lig. & sumpt. fun. §. Nullius & §. Religiosum. Instit. de rer. divis.* sed ex hoc non habe- tur sepultura Ecclesiastica; nam jure ca- nonico tunc solum locus aliquis evadit *Religiosus*, hoc est, obtinet rationem se- pulchri,

pulchri, seu sepultura Ecclesiastica; quando Episcopi auctoritate publicâ deputatur ad fidelium sepulturam, Gloss. communiter recepta, c. in Ecclesiastico. 13. q. 2. *V. si terram*, & colligitur ex c. 4. de Relig. domib. Suppon. 2. olim fuisse prohibitum, Christianos sepelire intra Ecclesiam, c. *Pre-cipiendum* 13. q. 2. nisi essent Episcopi, Abbates, vel alia insignes personæ, arg. c. *nullus*. 13. q. 2. ubi per *Fideles Laicos* intelliguntur illi solum, qui cum opinione sanctitatis decesserunt: hodie autem quilibet Fidelis in Ecclesia sepeliri potest, ut colligitur ex usu jam recepto.

§. I.

In quo loco quis possit, aut debeat sepeliri?

2377 **D**E hac quæst. extat. c. *Nos instituta* 1. h. t. ubi dicitur: nos instituta Majorum Patrum considerantes, statuimus, *unumquemque in majorum suorum sepulchris jacere*, ut Patriarcharum exitus docet. *Nulli tamen negamus propriam eligere sepulturam, & etiam alienam*, dominus enim & magister alienam elegit, ut propriam. Ex hoc textu habetur, cum, qui habet sepultura familiarem, & hæreditariam, extra parochiam suam, esse in illa sepeliendum, nisi elegerit sibi aliam, prout in textu conceditur; sed advertendum, in hoc casu sic ei permitti eligere alienam, ut nihilominus Ecclesiæ suæ parochiali teneatur solvere *partem sui iudicii*, nimirum canonicam, de qua dicemus infra, ut dicitur cit. c. 1. ibi: *quia dignus est Operarius mercede sua, tertiam partem sui iudicii illi Ecclesiæ dari censemus, in qua caelesti pabulo refecti consuevit, ut juxta Apostolum sint consolationum socii, ut fuerint passionum: & sic demum ubicunque libitum fuerit, eligat sepulturam. Aliter ne fiat*, auctoritate Domini nostri, qui per Prophetam locutus est, dicens: ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui, sub anathematis vinculo detestatur, & contradicimus; ubi not. quod textus volens Ecclesiæ parochiali perfolvi partem sui iudicii canonicam, loquatur de casu, quo quis *relictâ majorum sepulturâ* sibi, eligit alienam; igitur non in casu, quo sepelitur in sepultura majorum suorum, quantumvis illa non sit parochialis; id, quod patet ex illis verbis: & sic demum: *ubi-*

cunque libitum fuerit, eligat sepulturam; quæ subjunguntur illis: nulli negamus propriam eligere sepulturam, vel alienam, postquam dictum est, unumquemque in majorum suorum sepulchro jacere statuimus; loquitur ergo de eligente aliam, non autem suorum Majorum.

Not. autem 1. per *Majores* hic intelligi 2378 ascendentes in linea recta, ut avus, & alii superiores, juxta L. *Majorum ff. de Verb. signif.* Not. 2. per *partem sui iudicii*, intelligi portionem Parochialem, ut communiter tradunt DD. cum Gonzalez in dist. c. 1. V. *Tertiam partem n. 1.* Not. 3. quando dicitur, unumquemque in Majorum suorum sepulchris tumulandum esse, intelligi solum, *si decessit non electâ sibi sepulturâ.* Not. 4. si contingat, quod defuncti Pater, & avus elegerit sibi, suisque aliam sepulturam, nimirum non Majorum suorum, filium defunctum sepeliendum in sepulchro Patris & avi; non autem proavi, vel tritavi; nam hi sunt remotiores à defuncto; & in priori jam verificatur ratio *sepulchri majorum*, secus, si uno loco jaceret tantum pater, in alio avus; sic enim neuter locus est sepulchrum *Majorum.*

Quæstio autem est 1. ubi sepeliri de. 2379 beant illegitimi, & naturales? 2. spurii? 3. adoptivi? Ad 1. respondet sylvester V. *Sepultura. q. 8. dist. 4.* sepeliendos in sepultura Patris, nisi hujus dignitas obstat, vel elegerint alibi sepulturam; spurios autem in sepulchro Matris, nisi foret illustis, ex quo patet ad 2. Ad 3. verò 2. si decederent adhuc vivo adoptante, vel arrogante, tumulendos in ejus sepulchro; secus eo mortuo; quia tunc sublata est adoptio.

Quæstio 4. est, ubi sepeliendus sit, qui 2380 non elegit sepulturam; nec etiam habet sepulturam Majorum; aut si habet, in ea commode sepeliri non potest? *Re.* quod in Ecclesia sua Parochiali, vel ejus cimiterio, colligitur 1. ex c. 1. h. t. nimirum ea, in qua recepit, aut recipere debet Sacramenta. Apertius autem ex c. 1. h. t. in 6. ubi Bonifacius VIII. prohibet universis Religiosis, & secularibus Clericis in virtute sanctæ obedientiæ, & sub maledictione æterna, ne aliquos *ad vivendum, vel jurandum, vel fide interpositâ, sive aliâ ad promittendum inducant, ut apud eos sepulturam eligant.*

eligant, vel jam electam ulterius non immutent. Si secus actum fuerit, electionem decernit irritam, & ut taliter eligentes nec apud electas Ecclesias, nec alibi possint eligere sepulturam, sed sepeliantur apud illas Ecclesias, apud quas sepeliendi erant, si fortassis aliàs sepulturam non electam decessissent. Religiosos verò & Clericos contravenientes, tam ad restitutionem corporum (si petantur) quam omnium, qua occasione sepultura ad ipsos pervenerunt, intra decem dies vult esse obligatos. Quod nisi fecerint Ecclesie, & Camiteria, ubi sepulti fuerint, coipso sunt, & tamdiu manent Ecclesiastico supposita interdicto, donec omnia plenarie restituerint. Ex hoc enim habetur, tales haberi perinde, ac si nullam haberent sepulturam propriam, nec ullam etiam elegerint, adeoque sepeliendos, ubi aliàs de jure debuissent, quibus scilicet debent relinquere partem sui iudicii, seu canonicam portionem, at hæc debetur soli Ecclesie parochiali: ergo. De reliquis, quæ continentur in cit. textu, constabit à n. 2388.

2381 Quæstio 5. est, ubi sepeliendus sit, qui fuit in duplici parochia? 6. quando quis habens Parochiam in oppido, vel civitate, moritur in arce sua v. g. vel villa sua, ubi rusticationis, vel recreationis causam morabatur? 7. quando quis moritur in loco, ad quem venit non animo ibi perpetuo manendi, substituit tamen ibidem per notabile tempus? Ad 5. r. eo casu dari locum preventioni, & si Parochi litigarent, Episcopi iudicio standum esse, Molin. tr. 2. de Justit. D. 214. n. 13. is enim est eorum Iudex ordinarius. Ad 6. r. si non elegit sepulturam, vel in sepulchro majorum suorum, vel in Parochia sui ordinarii domicilii sepeliendum esse, si sine periculo illuc deferri possit, c. 3. h. t. in 6. ibi: is, qui habens domicilium in civitate vel castro, quandoque ad villam ruralem se transfert recreationis causa, vel ut ruralia exerceat in eadem: si non electam sepulturam, decessat ibidem, non in Ecclesia dictæ villæ, sed in sua parochiali, vel in capotus, in qua majorum ipsius ab antiquo, sepultura extitit, sepeliri debet; dummodo absque periculo, ad ipsam valeat deportari. Ad 7. r. si aliam sepulturam non elegit, sepeliendum in parochia illius loci, ut tradit Abbas in c. 1. h. t. n. 4. Et ideo peregrini, & advena, si moriantur in loco, per quem transeunt, & non possunt comode ad suam parochiam reduci, nec alibi sepulturam ele-

Tom. III.

gerunt, sepeliendi sunt in Ecclesia, à cuius Rectore Sacramenta tunc acceperunt.

Præter hæc not, Famulos domesticos 2382 Ordinum Mendicantium, sepeliri posse in eorum Ecclesiis, vel Coemiteriis etiam Parocho loci invito, si intra septa eorum moriantur, licet sibi non elegerint sepulturam in illis; Rodriquez tom. 2. q. 68. n. 2. Nam tales sunt proprie illorum familiares; unde quamvis ejusmodi Monasteria sita sint in aliqua parochia, non tamen sunt de illa parochia, quo fit ejusmodi famulos domesticos gaudere immunitate locali, quam habent eorum, quibus famulantur, Monasteria per ordinem ad suos familiares, inter quæ etiam est jus sepulturæ, ut constat ex Comp. Privil. nost. Societ. V. Familiares.

Quæstio est 8. ubi sepelienda sit Uxor 2383 vidua? 9. quid si habuit plures successive Maritos? Ad 8. r. si sibi non elegit sepulturam, in sui mariti, non autem majorum suorum sepulchro sepeliendam esse, c. 2. 13. intellige de uxore legitima (non mera sponsa de futuro) & non separata à Viro per divortium ob adulterium, Sylvest. V. Sepultura. q. 8. dicto 5. Ad 9. r. sepeliendam esse cum viro ultimo per c. is, qui 3. h. t. in 6. §. Mulier, ibi: Mulier autem, quæ plures viros habuit successive, si sepulturam non eligat, est cum viro ultimo, cujus domicilium retinet & honorem, tumulanda.

Quæstio est 10. quibus sit concessa liber- 2384 tas eligendi sibi sepulturam, etiam extra suam parochiam? r. concessam esse cuilibet, utriusque sexus, modo pubes sit, & habeat usum rationis, si secularis, seu non Regularis sit; per c. 1. h. t. de quo n. & c. 3. eod. in 6. relato n. 2377. Impuberibus autem liberis Pater sepulturam eligit, si ita ferat consuetudo loci, aliàs non, c. 1. h. t. & c. 4. eod. in 6. ibi: licet Pater minores filios, qui nequeunt, antequam ad annos pubertatis perveniant, eligere sepulturam, possit (si consuetudo terræ id habeat) quo voluerit sepelire: hoc tamen non potest, ubi consuetudo hujusmodi non habetur, sed sunt cum suis majoribus, vel in parochiali Ecclesia tumulandi. Quamvis autem filius familias absque Patris assensu, sibi possit liberè eligere sepulturam, pro anima tamen sua præter ipsius assensum (nisi peculium castrense, aut quasi castrense habeat) aliquid judicare non potest, ubi nota ly aliquid judicare non potest, nimirum disponere de bonis non castrensibus, aut quali; ex quo habetur intellectus verbo-

Zzz 2

rum:

rum: *partem sui iudicii*, de quo n. 2377. in c. 1. per eam enim intelligitur pars bonorum suæ dispositioni liberæ subiectori.

2385 *Dixi, si non sit Regular.* Nam Religiosi sepeliendi sunt in suis Monasteriis, vel Ecclesiis, nisi longius ab illis absint; per c. *Religiosi*. 5. h. t. in 6. ibi: *Religiosi, nisi à propriis Monasteriis adeo forsitansint remoti, quòd ad ea, cum moriuntur, commode portari non possint, nequeunt* (cum velle, vel nolle non habeant) *sibi eligere sepulturam, sed sunt apud Monasteria tumulandi*, vel (ut Glossa in c. *fin. h. t. v. non habeant*, notat) *nisi extra claustrum Monasterii beneficiis sint prepositi*. Aliud est de Prælati Regularibus, quibus permittitur electio sepulturæ, ut tradit Pellizarius in *Manual. Regular. tom. 2. tr. 8. c. 5. n. 126*. Censetur autem hic Religiosus in loco remoto à suo Monasterio mortuus, quando ex illo uno die nec ad suum, nec ad aliud ejusdem Ordinis Monasterium, vel non nisi agrè, ac cum incommodo deponari potest; sic Bordonus *tom. 2. resol. 51. n. 161*. Coeterum, Novitii Religionum possunt sibi eligere sepulturam; nam hæc electio solum interdicta est Religiosis; sub quo nomine in odiosis non veniunt Novitii, per sensum contrarium c. *ult. h. t. in 6*, nam hoc solum loquitur de Religiosis: Tertiarii autem collegialiter, aut claustraliter viventes; item Tertiaria, quæ Virginalem, cælibem, aut castam vidualem sub expresso voto, & habitu Tertiiorum vitam ducunt, possunt, & debent etiam invito, ac minimè requisito Parocho in Fratrum suorum Ecclesiis sepeliri; Barbo *n. 27. Congr. Episc. & Reg. 11. Dec. 1615*.

2386 Quæstio est 11. an Regularibus, vel Clericis secularibus liceat voto, juramento, vel etiam promissione facta inducere aliquem, ut in ipsorum Ecclesiis sepulturam eligat, vel jam electam ulterius non immutet? R. negativè ex c. 1. h. t. in 6. ibi: *Universis Religiosis, & secularibus Clericis cujuscunque status, vel conditionis existant*, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub interminatione maledictionis aternæ, districtissimè prohibemus: ne aliquos ad fovendum, jurandum, ut fide interposita, seu aliàs promittendum inducant, ut apud eorum Ecclesias sepulturam eligant, vel jam electam ulterius non immutent. Imò talis electio penitus irrita est; & si alibi tales non elegerunt sepulturam; non in loco, ad quem sic inducti sunt, sed ibi, ubi aliàs de jure debebant, sepeliendi sunt, cit. c.

1. ibi: *Nos enim* (si fecus actum fuerit) *electionem talem decernimus nullius penitus existere firmitatis*. Statuentes, ut ii, qui sic elegerint, nec apud sic electas Ecclesias ullatenus sepeliri, nec alibi (ne contra votum, juramentum, aut promissum hujusmodi à se factum materiam habeant veniendi) possint eligere sepulturam: sed contradictione quacunque cessante sepeliantur omnino apud illas Ecclesias, apud quas sepeliendi de jure fuissent, si aliàs sepulturam non electam forsitans deceffissent.

Si autem illi, qui alios sic induxerunt, nihilominus cadaver defuncti in Ecclesiis suis habeant, intra 10. dies restituendum est parochiæ suæ, si petitur, cum omnibus occasione sepulturæ perceptis; & interim Ecclesiæ, & Cœmeteria eorum manent ipso facto interdicto subiecta, donec omnium restitutio fiat, cit. c. 1. ibi: *si verò idem Religiosi, vel Clerici prædictos in suis Ecclesiis, vel cœmeteriis præsumserint sepelire: ad restitutionem tam sepulorum corporum (si petantur) quam etiam omnium, quæ occasione sepulturæ illorum pervenerint quomodolibet ad eosdem, intra decendum integraliter faciendam ipsos obligatos esse censemus. Quam, nisi fecerint, Ecclesiæ ipsæ, apud quas sepulti fuerint, nec non & cœmeteria earundem, ex tunc eo ipso sint, & tam diu maneant Ecclesiastico supposita interdicto, donec ab eis facta fuerit restitutio plenaria omnium prædictorum*.

Circa istam constitutionem not. 1. huic constitutioni non esse locum, si quis solis precibus inductus in eorum Ecclesia sine ullo pacto sepulturam eligat 2. esto alium inducat, ut juret, sepulturam se electurum in alia, quam inducentis Ecclesia. 2. si inductio non est sortita effectum, 4. si juravit sponte, non inductus, vel persuasus, 5. si tantum unus, vel alter induxisset, & reliqui hoc ignorantes bona fide defunctum sic inductum sepelivissent; nam in dictis casibus non verificantur verba hujus dispositionis poenalis, ut patebit consideranti.

Quando autem inducentes ad eligendam sepulturam in propria inducentium Ecclesia, excommunicantur; Clement. Cupientes. §. *fin.* de poenit. intelligendum venit de inducentibus ad eligendam sepulturam cum obligatione irrevocabili v. g. voto, juramento, vel interposita fida, qua eligens manet obligatus, ut non possit muta-
re ele-

re electionem; non autem purè hortando, vel suadendo etiam precibus adhibitis, quin intendamus cum obligare, ut mutare non possit, sic Pasqualigus, decisione 372. n. 2. & 4. cum, & apud eum Rodriquez, Portel. Suarez, Navarr. D. Antonin. & alii.

ARTICULUS II.

Quibus Ecclesiis competat jus sepultura?

2390 **C**ommunis habet, quod de jure communi jus sepulturæ competat Ecclesiis populum habentibus, vel curam animarum, quales sunt Parochiales; sic tradunt aliqui ex Clement. *Dudum §. Verum h. t. & 13. q. 1. c. 1.* Unde quidam Neotericus *h. t. §. 4. n. 5. ait.* Monasteria, quæ populum, & jus parochiale non habent, posse quidem habere cæmeterium, sed pro suis duntaxat, & pro Religiosis hospitibus ibi morientibus, *c. 1. caus. 16. q. 1. c. fin. h. t. in 6.* & licet defunctus elegerit sepulturam in alia Ecclesia, vel monasterio, propterea tamen admitti non debere; cum ad hoc ipsum, (ut v. g. Monasterium possit sepelire aliquem, qui ibidem ultro sepulturam elegit) specialiter privilegio opus sit, juxta *c. in nostra. 10. h. t.* quale privilegium concessum est ordini Prædicatorum, & Minorum, in cit. Clem. *dudum §. hujusmodi* imò de facto omnibus Monasteriis Regularium vel ex privilegio, vel ex consuetudine jus sepeliendi defunctos competere, ex Lancelloto refert P. Engl. *h. t. n. 4.*

2391 Verum contrarium etiam de jure communi videtur colligi ex *c. Fraternitatem. 3. h. t.* ubi Innocentius III. Genuensi Archiepiscopo scribens, *Fraternitatem*, inquit, *tuam non credimus ignorare, mortuorum sepulchra, & cæmeteria apud illas Ecclesias, & Monasteria ex antiquo esse disposita, in quibus religiosorum fratrum conventus sunt constituti, & orationes atque Missarum solemnias, tam pro vivis, quam pro defunctis frequentius celebrantur: unde ipsorum devotioni, & extreme voluntati, qui apud hujusmodi Ecclesias sepeliri desiderant, minime contradicendum est;* ubi nullum verbum de Monasterio habente populum, vel curam animarum, sed in quo est Religiosus cæterus constitutus, frequens oratio, & Missarum celebratio tam pro vivis, quam defunctis; quod utique magis contingit in Ecclesiis Regularium; quam Parochialibus; non igitur verificatur illud, *de jure communi solis Ecclesiis Parochialibus competere jus sepultura.* Sed nec id

rectè deducitur ex Clement. *Dudum, cit. §. verum;* ibi enim solum dicitur, si quis elegerit sepulturam in Ecclesia Regularium, parochiali nihilominus solvendam ex relictis dictæ Ecclesiæ, quartam funeralem: & hanc sententiam expressè tradit Passivinus de Statibus *hominum. tom. 2. q. 187. a. 4. à n. 137.* Bordonus *resolut. 51. n. 6.* & Fagnanus in *dict. c. 3. à n. 5.* de quo infra n. 2402.

Quod adducitur ex *16. q. 1. c. placuit. 1.* 2392 ubi dicitur: præcipimus, ut aliquis Monachus pœnitentiam nemini tribuat, nisi sibi invicem, ut justum est: *mortuum non sepeliat, nisi Monachum in Monasterio secum morantem: vel, si fortuito quemquam adventantium fratrum ibi mori contigerit;* non evincit intentum de omnibus Regularibus, etiam non Monachis; textus enim expressè loquitur de *Monachis, quæ talibus*, ut patet ex ipso textu cit. *c. Placuit*, ibi: *Placuit omnibus residentibus in sancta Nicæna Synodo, ut Monachorum conversatio, & vita, secundum etymologiam nominis ab omnibus distreperet. Monachus enim græcè, latinè singularis dicitur.* Unde *Monachum per omnia singulariter agere oportet.* Quamobrem firmiter, & insolubiliter omnibus præcipimus, ut aliquis Monachus ut supra; unde D. Hieronymus ad Riparium Presbyterum adversus Vigilantium: *Monachus, inquit, non docentis, sed plangentis habet officium: qui vel se, vel mundum lugeat, & Domini pavidus præstolatur adventum;* quo innuitur, *Monachis non competere ex officio sepelire mortuos non suos;* ex quo non sequitur eorum Ecclesias jure communi non esse capaces alios recipere ad sepulturam; quamvis etiam hodie Monachi Clericorum officia, & jure, & cum magna adificatione obeant in pluribus locis, de quo in ead. causa *16. q. 1. c. 2. & seqq.*

Frustra verò assert *c. fin. h. t. in 6.* nam 2393 in eo nec verbum habetur, quod sole parochiales Ecclesiæ de jure communi habeant sepulturam, seu jus sepeliendi; verba illius *c.* retulimus supr. Denique neque *c. 10. h. t.* illi favet: Ibi enim solum dicitur, quod *privilegiati super jure funerandi*, sepelire possint illos, qui apud eos eligunt sepulturam, *solvendo tamen canonicam portionem Ecclesiæ parochiali:* si verò alios sepeliunt, teneantur restituere, quidquid occasione funeris receperunt, nam licet hoc verum sit, quod *privilegiati* non possint recipere ad

sepulturam eos, qui apud eos eligunt sepeliri, nisi solvant canonicam portionem Ecclesie parochiali: ex hoc tamen textu non inferitur legitime conclusio, quam ponit ille Author cit. n. 2390. dicens: *Et licet defunctus elegerit sepulturam in Monasterio, propterea tamen admitti non debere, cum ad hoc ipsum speciali privilegio opus sit*; hoc sane non sequitur ex illo antecedente, nec ex textu c. 10. h. t. quod in istum finem allegat.

2394 Aliud enim manifeste est: Monasteria non possunt sine speciali privilegio recipere ad sepulturam eos, qui elegerunt eam in ipsis: aliud, Monasteria, licet privilegiata quoad sepulturam, non possunt recipere ad sepulturam eos, qui elegerunt eam in ipsis, non soluta portione canonica Ecclesie parochiali. Prorsus enim diversa sunt, Monasterium sine speciali privilegio non potest tales sepelire; & Monasterium, vi privilegii sepultura, potest tales sepelire sine portione canonica parochie debita; primum nullo modo dicitur in eo c. 10. quia ibi non fuit questio, an Monasterium sine speciali privilegio possit recipere ad sepulturam eos, qui eligunt in eo sepeliri? cum id jam constaret, posse ex c. *Fraternitatem. 3. h. t. relato n. 2391.* controversia igitur erat de secundo, cum quidam Regulares privilegiati recusarent solvere illam portionem parochia, contra id, quod privilegium concedebat; & hoc negative resolutum est in dicto c. 10. h. t. nihil igitur ad intentum illius conclusionis ex cit. c. 10. probatur.

2395 Accedit, quod in dicto c. *in nostra. 10. h. t.* quod allegatum est, non agatur ex professo de questione; an Regularibus opus sit speciali privilegio, ut possint sepelire illos, qui apud ipsos eligunt sepeliri; sed solum de querelis contra Hospitalarios, qui virtute privilegii sepulturae, concessi, in multis excedebant, inter alia duos alterius Parochiae mortuos *infra legitimos annos* (qui scilicet sibi de jure sepulturam eligere non poterant) ad sepulturam receperint, & ab his accepta, sibi reservarint; ut patet ex toto casu. Quamvis igitur verum sit, illas Ecclesias de jure communi habere jus cimiterii, & funerandi, quae habent populum, ut sunt Parochiales, at quod hoc habeant sola Parochiales; nullo jure cautum est generatim, esto Monasteria non habeant cimiteria (seu locum sepulturae deputatum) nisi pro suis, ut constat ex dicto, & expresse tenet Wagnereck in c. *Fraterni-*

tatem. 3. h. t. in Exegesi, Not. 2. cum Innocentio *ibid. cit. in c. 1. h. t.* id, quod clare confirmari potest ex 13. q. 2. c. *ubicunque. 6.* dicente: *ubicunque temporum, vel locorum facultas tulerit, apud majorem Ecclesiam, ubi sedes est Episcopi, sepultura celebrentur. Si autem propter temporis, vel loci asperitatem hoc difficile fuerit visum, apud Ecclesiam, in qua Religiosorum, Canonicorum, vel Monachorum, vel sanctimonialium religiosa congregatio communiter degerit, sepeliatur. Si autem hoc ineptum visum fuerit, ubi quis decimas persolvebat vivus, ibi sepeliatur & mortuus.*

Ex hoc enim textu (qui desumptus est ex 2396 CC. Triburicensi, nec ullo jure decretalium immutatus, aut restrictus est) clare habetur, *ubicunque temporum, vel locorum posse fideles sepeliri* (si ipsi elegerint) *apud Ecclesiam, in qua Religiosorum Canonicorum, vel Sanctimonialium religiosa Congregatio habitaverit.* si difficile fuerit propter temporis, vel loci asperitatem sepeliri apud majorem Ecclesiam, ubi sedes est Episcopi; ubi glossa V. *ubicunque*, istud, inquit, c. instruit, quod, si quis vult eligere aliam sepulturam, quod hunc servabit ordinem in eligendo, quod potius eliget *Episcopalem* Ecclesiam (non dicit *Parochialem*, & hanc *solum*; aut nisi *alia Ecclesia*, quam eligit, sit *speciali privilegio ad hoc munita*) quam alteram; si tamen alio modo eligit, standum esse voluntati suae; dum tamen habeat justam causam eligendi; sic Gloss. cit.

Deinde in ipso casu eadem Glossa notat, 2397 quando dicitur; sepeliendum esse *apud majorem Ecclesiam*, intelligi de illis, qui habent antiquam sepulturam in Episcopali Ecclesia, cum non possit intelligi de omnibus civibus; 2. id accipiendum, ut ibi sepeliatur, nisi *difficiliter*, hoc est, non *apud* id fieri possit; non autem secus; consequenter habentes antiquam sepulturam in Cathedrali, vel alios id non habentes, ex rationabili causa (non autem *meri arbitrii temeritate*, ut dicitur 13. q. 2. c. *Placuit*) posse sibi sepulturam eligere apud Ecclesiam *etiam Sanctimonialium*, vel aliorum Regularium (in religiosa Congregatione cum regulari observantia degentium) quin textus iste, vel alius etiam in Decretalibus requirat *in Ecclesia electa* speciale privilegium funerandi, *directe* ipsi concessum; quia facultas uni concessa per ordinem ad aliquid exercendum *in tali Ecclesia*, vel loco, coipso per necessariam consequentiam,

tiam, sine ulla concessione alia Ecclesie, vel loco directè facta, porrigitur ad ipsam etiam Ecclesiam, vel locum, si & hic sit sub jurisdictione concedentis, ut alibi dixi de officio delegati; & tradit Pyrrhus Corradus in *Praxi dispens. Apostol. l. 1. c. 6. à n. 18.*

2398 Rem explicat exemplis, dicens, quando sumus in necessariis consecutivis, & accessoriis, quia tunc dispensatio concessa super principali, censetur etiam concessa super necessariis consecutivis & accessoriis: & generaliter dispensatus ad aliquid, videtur dispensatus ad omnia accessoria, per Gloss. communiter receptam in *c. quia in tantum, vers. plures Ecclesias, de prab. Sanch. de matr. l. 8. D. 1. n. 19. Rota decis. 12. n. 33. in recent. p. 5.* sicut etiam dispensatus ad duo beneficia incompatibilia, censetur etiam dispensatus super illorum residentia, licet non exprimatur, Gloss. in *c. si quis in Clero, vers. solemnibus. 7. q. 1. Host. in c. cum in cunctis, de elect. & in tali dispensatione subintelligitur clausula, quò dispensatus deserviat per Substitutum, seu Vicarium, Mandol. super reg. 20. q. 7. n. 4. & comprehendit solum ea, quæ veniunt in necessariam consequentiam, & inseparabilem, non autem separabilem; Felinus in *c. postulasti, n. 10. de reserv.* aliàs enim talis dispensatio redderetur profusus inanis: nullumque operaretur effectum; Felin. in *cit. c. postulasti.**

2399 Ethocadèdè verum est, ut illud, quod in consequentiam venit, trahatur etiam contra naturam suam, à principali, quod aliàs frustra videretur concessum, L. *Papinianus §. si ex causa ff. de inoffic. testam.* & videmus in praxi receptum, quòd, cum ad præscriptum Concilii *Trid. Sess. 24. c. 2. de reform.* provisi de quibuscunque beneficiis, curam animarum habentibus, in manibus Episcopi, vel Vicarii, & provisi de Canonicatibus, & dignitatibus in Ecclesiis Cathedralibus, etiam in Capitulo, professionem fidei emittere teneantur, nihilominus si daretur proviso indultum de percipiendis fructibus in absentiam, per necessarium antecedens censetur dispensatus à professione fidei faciendâ, ut fuit resolutum in una Carthaginens. fructuum, de primâ Julii 1588. coram Plate, teste Garcia de benefic. p. 3. c. 3. n. 77. jura namque correctiora, & quantumvis exorbitantia, loquentia in casu expresso, trahuntur ad casum, qui solet venire in consequentiam alterius, *c. Miramur, de serv. non ordin.*

Ex his resolvitur potest etiam quaestio non 2400 ita pridem facta, an Parochus jure negare potuerit sepulturam infantis in Ecclesia *Sanctimonialium*, in qua Parens ejus desideravit eum sepeliri, postquam plures ejus proles jam antè in eadem Ecclesia sepultura tradita sunt, nemine quicquam antecedenter in contrarium movente, licet factum publicè constaret, & parentes jura parochialia fideliter & tunc persolverint, & nunc etiam pariter persolvere voluerint? Videri posset, id jure factum ex doctrina relata superius n. 2390. prout etiam in facti contingentia parentibus, & Ecclesie *Sanctimonialium* in dato casu negatum est, sed pluribus tum utriusque juris Viris peritis etiam secularibus, tum etiam Ecclesiasticis, & Curatis, meo quoque judicio visum est, immeritò id negatum esse; nam ratio negandi, quæ ab eo reddebatur, erat, quòd Ecclesie Monasteriorum, nisi speciali privilegio munita sint, ut valeant defunctorum cadavera ad sepulturam recipere, non habeant jus funerandi etiam eos, qui in eis sepulturam sibi elegerunt, sed *sola parochiales*; & hoc ex rationibus allatis in n. 2390. sed hæ rationes id non probant, ut constat ex dict. à n. 2391. ergo.

Deinde, cum his, quæ in favorem suum 2401 adduxit *cit. loc. supr. n. 2390.* ipse fateatur cum doctissimo Canonista P. Engl, & Lanceloto ibid *cit. de facto* omnibus Monasteriis Regularium vel ex privilegio, vel ex consuetudine jus sepeliendi competere, salvis tamen semper juribus Parochialibus quoad taxam, & portionem canonicam parochia debitam, non erat, unde hoc jus, commune omnibus, negaret dicto Monasterio, præsertim cum constaret ei in ordine ad hoc (etiam secluso communi privilegio, & consuetudine) jus funerandi acquisitum esse, ex usu, & exercitio sepeliendi, per ipsum Monasterium *Sanctimonialium* illius loci, ut ponit casus, factò sciente, ac patiente illo, qui poterat, & debebat, si juri suo præjudiciosum, & illis sine speciali privilegio incompetens, credebatur; nam ejusmodi casu, & exercitio alicujus juris, etiam bis, aut ter, imò semel tantum, ut dictum est, exercito, acquiri jus ad talem actum deinceps jure acquirendum, constat ex dict.

His adde, quæ tradit Fagnanus *c. Fra. 2402 servitatem 3. de sepultur. n. 5.* ubi postquam retulit opinionem Abbatis Siculi, (docen-

ARTICULUS III.

Quis concedere possit Ecclesiis jus sepulture?

(docentis, non posse quem relicto Majorum sepulchro eligere sibi sepulturam in Ecclesia, *quæ de jure, vel privilegio cimiterium non habet*) subjungit, quod hoc fallat in Ecclesiis omnibus, ubi sunt religiosa persona in conventu, in quibus missæ, & divina officia celebrantur, ut clarè probat hæc litera, ibi: *mortuorum sepultura, & cimiteria apud illas Ecclesias, & monasteria ex antiquo esse disposita, in quibus Religiosorum Fratrum Conventus, &c.* ponderando illa verba, ex antiquo esse disposita, quæ magis videntur referenda ad jus commune, & ad dispositionem, quæ fit per viam legis, quam per viam privilegii, ut in Auth. de appellat. circa princip. junctâ Gloss. V. Antiquitati; & paulò post ad opinionem Abbatis restringentis textum ad Monasteria, *quæ habent populum*, volentis opinioni suæ suffragari Clementinam dudum, ubi Mendicantes obtinuerunt jus sepulture ex privilegio Apostolicæ Sedis: ergo illis antea non competebat de jure commune: nam frustra ex privilegio impetratur, quod de jure commune competit, L. ult. C. de Theaur. l. 10. l. 1. §. quod beneficium, ff. ad municipalem, gloss. 1. in c. 1. de rescript. Ad hanc, inquam, opinionem respondet Fagnanus cit. n. 6. Intellectus Abbatis nimis restringit hanc literam, quæ generaliter loquitur de monasteriis, & fundat se in divinatorum frequentia, & contra Abbatem allegat textum expressum in c. ubiunque 13. q. 2. ubi Concilium Triburiense statuit, ut si fieri possit, primò quis sepeliatur in Ecclesia Episcopali; deinde in Ecclesiis monasteriorum, ubi Religiosa degit congregatio; tertio in plebibus, seu capellis, ubi decimæ persolvuntur: ad idem facit textus apertus in c. Agapitus 16. q. 1. ubi Gregorius arguit Episcopum de Urbe veteri, quod inhumaniter prohiberet missas celebrari, & mortuos sepeliri in monasterio S. Gregorii, jubetque, ut de cætero hoc permittat, absque ulla contradictione; & quamvis Hugo, Laurent. & Joannes dicant, illum textum loqui de monasterio habente populum, tamen, ut inquit ibi Archidiaconus, circa medium, isti Patres erraverunt in facto; quia monasterium Sancti Gregorii non habet populum. Ad Clement. dudum, respondet, privilegium Mendicantium non fuisse inutile, quia jus antiquum erat dubium propter varietatem opinionum, c. super specula, ne Clerici, vel Monachi.

Communi, nec consuetudine, vel præscriptione habet jus recipiendi defunctorum cadavera ad sepulturam, n. loquendo universim de tota Ecclesia, solum Papam; Legatum à Latere in sua Provincia: Episcopum in sua Diocesi, id posse concedere, ut tradit Barbosa de officio Parochi c. 26. n. 9. quem citat, & sequitur Pirhing h. t. n. 32. Et quamvis præcedente articulo ostensum sit, hoc jus concessum esse; non solis Ecclesiis Parochialibus, sed etiã Monasteriorum, ubi religiosa congregatio Regularium degerit, tum ex c. Fraternitatem 3. h. t. de quo n. 2391. & c. ubiunque relato n. 2395. ubi statuitur, ut si fieri possit, primò quis sepeliatur in Ecclesia Episcopali: deinde in Ecclesiis Monasteriorum, ubi religiosa degit congregatio: tertio, ubi quis decimas percipiebat: censet tamen Pirhing loc. cit. textum istum de Monasteriis habentibus populum intelligi debere; sed hujus nullam rationem, vel legem affert; & hujus limitationis nullum verbum habetur, vel in cit. canonibus, ut ostendimus loc. cit. nec in decretalibus.

Citat quidem 1. Clement. dudum §. ve. 2403 rum, sed de hac jam constat ex dict. a n. 2402. deinde 13. q. 1. c. Ecclesias 1. sed ex hoc c. nihil ad intentum concluditur; verba illius sunt: *Ecclesias singulas singulis Presbyteris dedimus: parochias, & cimiteria ejus divisimus: & unicuique jus proprium habere statuimus: ita videlicet, ut nullus alterius parochia terminos aut jus invadat: sed sit unusquisque suis terminis contentus, & taliter Ecclesiam, & plebem sibi commissam custodiat, ut ante tribunal æterni judicis ex omnibus sibi commissis rationem reddat: & non judicium, sed gloriam pro suis actibus accipiat;* Sic Dionysius Papa, scribens Severo Episcopo, epist. 2. Nam ex hoc textu solum habetur, nullum Presbyterum, qui jus solius suæ Ecclesiæ per Ecclesiarum divisionem est attributum, debere, aut posse licite in Ecclesia alterius sibi jus aliquod usurpare; quod omnino verum est; nam de hoc textu agit; non autem eum, qui præest Ecclesiæ, cuius attributum est recipiendi ad sepulturam in Ecclesia sua quoscunque, quibus licet etiam extra parochialem eligere sepulturam etiam in Ecclesiis Monaster. juxta id, quod habetur in cit. c. Fraternit. & c. ubiunque. Dices:

2405 Dices: si Monasteria in suis Ecclesiis jure communi haberent jus recipiendi ad sepulturam cadavera defunctorum (saltem salvis juribus Parochialibus quoad portionem funeralem, debitam ob sacramenta illis vitæ tempore in Parochiis suis ministrata) qui apud eos elegerunt sepeliri, frustra concessum fuisset illis privilegium funerandi tales, salvis juribus parochialibus, quoad dictam portionem funeralem; certum autem est, Monasteriis quibusdam concessum esse tale privilegium, Clement. dudum 2. h. t. §. *Hujusmodi*, ubi decernitur, quod prædicti Regulares (Ordinis Prædicatorum) liberè possint in Ecclesiis, vel locis suis ubilibet constitutis liberam (ut sequitur) habere sepulturam: videlicet quod omnes ad eam recipere valeant, qui sepeliri elegerint in locis, & Ecclesiis memoratis.

2406 Ubi post hæc ita subjungitur: *Verùm ne parociales Ecclesie, & ipsarum Curati, sive Rectores*, qui ministrare habent Ecclesiastica Sacramenta, quibus noscitur de jure competere, prædicare, seu proponere verbum Dei, & confessiones audire fidelium, *debitis, & necessariis beneficiis defraudentur*, cum Operariis mercedis exhibitio debeatur: *auctoritate Apostolica constituimus*, & ordinamus eadem, ut dictorum Ordinum fratres, de obventionibus omnibus tam funeralibus, quam quibuscunque & quomocunque relictis distinctè vel indistinctè, ad quoscunque certos, vel determinatos usus, de quibus etiam quarta, sive Canonica portio dari, sive exigi non consuevit, vel non debet de jure: nec non de datis vel qualitercunque donatis in morte, seu mortis articulo in infirmitate donantis, vel dantis, de qua decesserit quomocunque directè, vel indirectè fratribus ipsis, vel aliis pro eisdem *quartam partem* (quam auctoritate Apostolica taxamus, & etiam limitamus) *parociales sacerdotibus, & Ecclesiarum Rectoribus, seu curatis largiri integre teneantur.*

2407 Addit deinde, in seqq. §. *Facturi*, obligationem faciendi, curandi, quod nec alii, nec aliis, à quibus quarta hujusmodi animimè deberetur, ad ipsorum fratrum utilitatem, vel commodum hujusmodi sicut relictis, aut in eos taliter data, vel do-

Tom. III.

nata procedant, seu quod in morte, vel ab infirmis hujusmodi dandum vel donandum fratribus ipsis existeret: in eorundem dantium, vel donantium sanitate, sibi dati vel donati procurent. In quibus per ipsos vitandis, inquit, eorum intendimus conscientias onerare: ut si (quod absit) per fratres ipsos dolo vel fraude, quicquam in hac parte agi fortasse contigerit (præter id, quod eos propterea dictis sacerdotibus, Rectoribus, & Curatis teneri volumus) etiam distincta ratio, in extremi judicii examine requiratur ab eis. *Ultra portionem autem hujusmodi, nihil valeant parociales Rectores, curati, & Prælati exigere supradicti*, neque illis dicti fratres amplius impendere sint adstricti, neque ad id, à quoquam possint aequaliter coerceri. Mos etenim (ut in cunctis æqualiter & pacificè favente Domino procedatur) universa privilegia, gratias, indulgentias, verbo seu scripto, sub quacunque forma, vel expressione, seu conceptione verborum, à nobis vel Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus cuicunque ordinum prædictorum concessa, nec non consuetudines, conventiones, statuta & pacta, in quantum sunt præmissis, vel alicui præmissorum contraria, ea penitus revocamus, vacuamus, cassamus, & irritamus: quin imò cassa, vacua, & irrita nuntiamus, & decernimus nullius prorsus existere firmitatis.

Ad hos postremos §. *Verùm, & Facturi*, constabit ex dicendis in seqq. pro eo autem, quod principaliter petit objectio, not. textum illum in §. *Hujusmodi*, appellare supra statutum, & ordinationes factas super præcedentibus, observanda quadam deinceps constituta sunt, ut sopiretur gravis, & periculosa discordia, quæ inter Prælatos, & Rectores extitit suscitata super prædicationibus fidelium populis faciendis, eorum confessionibus audiendis, poenitentis injungendis eisdem, & tumulantibus defunctorum corporibus, qui apud fratrum ipsorum Ecclesias, sive loca noscuntur eligere sepulturam, & deinceps in Ecclesia Dei pax constitueretur, & conservaretur; hic enim principalis erat finis hujus Clementinæ.

Not. 2. dictos Regulares, jam ante hæc Clementinam, usos esse *jure recipiendi ad sepulturam suæ Ecclesie cadavera defun-*

Aaaa

defunctorum, qui apud ipsos elegerunt sepeliri: discordiam quoad tumulanda defunctorum cadavera potissimum ex eo natam, quod dicti Prælati, & Rectores parocchialium Ecclesiarum per ejusmodi funerationem in Ecclesiis Regularium, viderent sibi suisque Ecclesiis decedere donationes causa mortis, oblationes in funeribus, & similia; quandoque etiam fideles indebitè inductos à Regularibus ad sepulturas apud ipsos eligendas; vel etiam ad sepulturam receptos, qui sepulturam sibi nondum eligere poterant, ut constat ex querelis depositis apud sedem Apostolicam contra Hospitalarios in *c. in nostra* 10. *b. z.* ut retulimus n.

2410 In hunc ergo finem (tollendam nimirum discordiam inter Clericos seculares, & Regulares) etiam occasione funerum, Pontifex, tanquam Judex controversiæ, pro hujusmodi discordiæ compositione, per sententiam resolvit, & quod alias jure communi constitutum erat, ut constat ex *num. 2391.* Regularibus competere jus ad sepulturam recipiendi cadavera defunctorum, qui apud ipsos sepeliri elegerunt, *sed non aliter*, quàm si persolvant Ecclesiæ parochiali (ex qua talis defunctus erat,) portionem canonicam funeralem, prout jure constituta erat; ut patebit legenti attentè textum illius Clementinæ; quo habetur jus recipiendi defunctos ad sepulturam, competere Monasteriis non *mero privilegio*, ut communiter dicunt contrarii, ex vi hujus Clementinæ, sed ex sententia definitiva Papæ secundum jus antiquum in *c. Fraternalitatem, & c. ubi canonicæ*, quibus præmissis:

2411 *z.* 1. ad object. *num. 2405.* N. suppositum majoris, jam enim ostensum est illud jus Regularium non esse *merum privilegium*. *z.* 2. esto esset privilegium, quia tamen insertum est juri communi, ut constat, æquè tenet rationem legis communis, quàm jus Parochiarum, quamvis in eo differat, quod Ecclesiæ parochiali salva esse debeat portio funeralis, si Parochianus ex electione facta sepultus sit in Ecclesia Regularium. *z.* 3. N. ma. nam constitutio Clementina cit. concedendo privilegium (si transmittatur, hoc jus competere Regularibus *ex privilegio, & non jure communi*) non tendebat principaliter ad Regulares in dato casu privilegiandos tali

jure, sed ad dirimendam controversiam inter Prælatos, & Rectores Ecclesiarum parocchialium ex una; & dictos Regulares ex altera parte, subortam occasione usûs dicti juris, declarando jus cujus partis, nempe posse ad sepulturas Regularium recipi defunctos etiam parochianorum, sin ibi egerunt sepeliri; e contra verò nihilominus Ecclesiis parocchialibus portionem funeralem deberi perinde, quàm si in eisdem tumulati essent.

ARTICVLVS IV.

An pro sepultura aliquid exigi, vel accipi possit?

z. *S*epultura supponat solum pro humo, seu terra nondum sacra, posse illam emi, ac vendi licitè, quantumvis eo sine contingat, ut deinde in sepulturam Fidelium consecretur, vel benedicatur, est communis, ut tradit D. Thomas 2. 2. q. 100. *z. 4. ad 3.* Suarez *l. 4. de Simon. c. 14. num. 17. & alii*; quia talis terra est quid merè temporale. Postquam autem in sepulturam fidelium sacra est, vel benedicta, foret simonia juris etiam naturalis, & divini, pretium pro illa exigere, vel accipere intuitu consecrationis, vel benedictionis ita, ut hæc veniret in appetitionem, ut pluribus constat *ex dict. l. 5. tit. 3. de simonia*; & hoc universim dicendum est, committi simoniam, exigendo, vel accipiendo pecuniam, vel aliud temporale, pretio æstimabile pro sepulchro, seu terra jam deputata pro sepeliendis Fidelium cadaveribus in illa, si titulo loci sacri (videlicet, quod terra sit *benedicta*, vel in *Ecclesia*, vel loco *Ecclesiæ digniore*), aliquid exigatur, vel accipiat; nam in tali casu ratio *rei sacræ* veniret in appetitionem, quod citra dubium simoniacum est; de quibus fuscè agimus *l. 5. tit. 3. præsertim z. num. 4105.* hæc de sepultura, sumpta pro solo loco, seu terra, in qua cadavera tumulantur, vel reconduntur.

Questio est de sepultura, prout supponit pro jure, quod quis habet, ut in tali loco sacro sepeliatur ipse? vel etiam sui descendentes, aut ex familia? hoc jus acquiri potest de consensu Ecclesiæ sibi, suisque in tali loco cæmeterii, vel etiam Ecclesiæ, cryptam, vel cadaverum locum receptivum aedificando, ut constat ex consuetudine

dine jam recepta; quin etiam emendo locum purè materialem ad hunc finem, ut notavimus *lib. 5. num. 410.* ex Suarez, & Sylvestro, *loc. cit.* & quidem privativè ad alios, *ex ibidem dict. num. 411.* Dubitatio est, an quis sepulchrum proprium, sibi, suisque, sumptibus suis ædificatum, sine simonia quoad proprietatem vendere possit alteri solum juxta valorem fundi, & habito respectu ad solas expensas in eo factas? *Pirhing b. t. num. 38.* citans Innoc. in c. *penult. h. t.* & Abbat. *ibid. n. 4.* cum Layman in *disp. canon. de rer. Eccles. alien. c. h. 71.* absolute censet, quòd postquam locus aliquis est consecratus, vel benedictus, vel publicè auctoritate ordinarii Prælati ad sepulturam fidelium deputatus est, vendi non possit, ob prohibitionem Ecclesiæ; quia in nullius privati est dominio, *L. non tantum. 6. §. Sacra. ff. de rer. divis. atqui talis locus est etiam sepulchrum proprium familiæ Christianæ in Ecclesia, vel cœmiterio aliquo positum. Idemque dicendum est de structura, & ornamentis sepulchri; ea enim, cum sint superædificata, & imposita loco sacro, censentur etiam sacra, & in nullius dominio esse. Neque dicas, non vendi jus spirituale sepulturæ, sed materiale, nam cum hoc sit inseparabiliter connexum cum spirituali, non potest quis vendere materiale, nisi etiam spirituale vendere censetur; juxta c. *Si quis. 7. caus. 1. q. 3. V.* quæ dicimus *l. 5. a n. 420.**

2414 Cœterum Suarez *cit. num. 18.* valde probabiliter existimat, posse id fieri sine simonia, ut, sicut antecessor habuit, sic habeat & successor, nimirum jure proprietatis ad solum usum sui cadaveris & aliorum, quibus destinatum fuit; non autem quoad proprietatem veri dominii, cum res sacra in nullius privati dominio esse possit, ut jam dictum est supra, ex *L. 6. §. sacra. ff. de rer. divis.* licet enim fieret venditio solius rei temporalis secundum se, ut supponimus, sine respectu ad consecrationem, vel benedictionem fundi. Ad rationem contrariorum, quòd tali fundo, vel ædificio inseparabiliter annexum sit spirituale, non sequitur propterea venire in appretiationem etiam spirituales benedictionem, vel loci sacrationem, ut notavimus *l. 5. n. 402.* alias nec imagines ceræ benedictæ sine simonia quoad remotam earum materiam vendi possent; ad textum ex c. *si quis re-*

Tom. III.

spondimus *ibid. a num. 407. ubi n. 409.* diximus illud non loqui de materia rei sacræ, vel benedictæ solum annexivè talis, quando ipsa antecedit consecrationem, vel benedictionem; imò habere solum locum in casu, quo ipsa res secundum se nullum habet valorem pretio æstimabilem independenter à spirituali annexo; vel solum venderetur ad usum profanum.

2415 Altera quaestio est, an aliquid temporale exigi, vel accipi possit pro sepultura, sumendo illam pro ipso actu sepeliendi ritu Ecclesiastico, quem suis præstant communiter Rectores parochialium Ecclesiarum? non posse sine simonia, non videtur dubium; cum sit actus juris spiritualis, nimirum parochialis, vel Ecclesiastici non exercibilis à mero Laico, ut notamus *l. 5. a num. 410.* dixi pro actu sepeliendi ritu Ecclesiastico; nam alia quaestio est de exigendo, vel accipiendo aliquid temporale non pro actu sepeliendi, sed pro sustentatione, seu stipendio ad debitam Curatis sustentationem? de hac latè agimus *cit. l. 5. tit. 3. a num. 415. & 417.* ubi ostendimus sacro jure, *ibidem num. 416.* allegato, esse irreligiosum, illicitum, ac omnino prohibitum Curatis Ecclesiasticis, aliquid petere, vel exigere pro sepultura in Ecclesia, vel loco ad sepulturam Ecclesiasticam deputato, nisi quod per Ordinarium, seu Dioecesanum, ex conventionem cum domino terrestri, statutum est, vel legitimam consuetudine inductum, tanquam deputatum in sustentationem decentem Ministrorum, qui Fidelibus, vel ex officio, vel ex privilegio, spiritualia, & his annexa, ministrant; ubi not. excedentes in hac materia non habere justum patrocinium allegando consuetudinem, ut *ibid. num. 415.* & specialiter *a num. 424.* ostensum est; nec licere Curatis taxam stolæ augere suo arbitratu; *num. 418.* Ad quaestionem porro, an Clerici, qui aliunde obligati sunt ad exercenda suis ministeria spiritualia, committant simoniam, vel saltem injustitiam, si aliquid ultra id, quod est legitime vel statutum, vel usu approbato receptum, exigant etiam in stipendium suæ sustentationis, si eis vi redditum sui beneficii sufficienter de sustentatione decenti sit provisum? *ead. l. 5. a num. 423.* responsum est, etiam attemptam consuetudine.

ARTICULUS V.

De pœnis sepelientium eos, quos iure non possunt.

Variis modis peccari potest contra sacros canones in hac materia, puta sepeliendo iure prohibitos tumulari in loco sacro; vel tumulando alienum parochianum, vel in Ecclesia diversâ ab ea, in qua sepulturam elegit, aut eos, qui modis illicitis ad eligendam sepulturam in Ecclesia sepelientis inducti sunt; &c.

§. I.

Quibus Ecclesiastica sepultura iure canonico deneganda?

2416 **A**n te resolut. not. omnibus Christi Fidelibus iure concedi sepulturam in loco sacro, qui nullo iure sacro, vel consuetudine legitima, ratione delicti, hoc Ecclesiæ favore privantur; deducitur. 1. ex c. *Ecclesiam*. 28. dist. 1. de consecrat. ubi textus loquens de Ecclesia, in qua infidelium cadavera sepeliuntur, ait: si ante consecrata, Missas in ea celebrare licet, *si tamen fideles fuerint, qui in ea sepulti sunt*; &c. *Nullus*. 18. 13. q. 2. ibi: nullus mortuus intra Ecclesiam sepeliatur, nisi Episcopi, aut Abbates, aut digni Presbyteri, *vel fideles Laici*. Unde etiam in loco sacro sepeliri possunt, qui in patibulis suspenduntur pro suis sceleribus, si omnibus de peccatis suis, puram confessionem agentibus, & dignè pœnitentibus communitio in fine secundum Canonicum iustum danda est, cur non eis, qui pro peccatis suis pœnam extremam persolvunt? scriptum est enim: *non vindicat Deus bis in id ipsum*; c. *quesitum*, 3. ead. caus. & *quest.*

2417 Dixi: qui nullo iure sacro, vel consuetudine legitima, tali favore prohibentur; plures enim sunt, qui ab hoc excluduntur; & 1. infideles, Judæi, & pagani per c. *Ecclesiam*. 28. dist. 1. de consecrat. ibi: Ecclesiam, in qua mortuorum cadavera infidelium sepeliuntur, sanctificare non licet: sed si apta videtur ad consecrandum, inde evulsis corporibus, & rasis parietibus, vel tignis ejus loci, reedificetur. Secundò, hæretici, eorumque fautores, c. *Excommunicamus*. 13.

de hæretic. §. *credentes*; ibi: *nec eos Christianæ præsumant tradere sepulture*. Tertio, infantes Christianorum mortui sine baptismo, nisi foetus in utero matris mortuus simul cum Matre pariter mortua sepeliatur, c. *si quidquid*. 35. de consecr. dist. 4. cum non sint baptizati. Quarto, Catechumeni ex eadem ratione. Quintò, qui seipsum sponte ac voluntariè ex ira, vel desperatione occidit, c. *Placuit*. 23. q. 5. ibi: *neque cum psalmis ad sepulturam eorum cadavera deducantur*. Sextò, publicè, ac notoriè excommunicati, c. 12. h. t. si sint vitandi; Suarez, D. 12. de Censur. s. 4. num. 5. ac nominatim interdicti; Clem. 1. h. t. & c. *quod in te*. 11. de pœnitent. de quibus V. dist. 1. l. 5. tit. 39.

Septimò, mortui in duello; *Trid. sess.* 2418 25. de reform. c. 19. etiamsi fuerit privatum, ut constat ex Greg. 13. & Clem. 8. Octavò, manifesti Usurarii, donec satisfecerint, c. 3. de usuris, & c. 2. eod. in 6. de quibus V. l. 5. tit. 19. Nonò, Raptores manifesti, impenitentes mortui; c. 2. de Raptorib. l. 5. tit. 17. Decimò, blasphemus in Deum & SS. c. 2. de maledic. de quol. 5. eod. tit. Undecimò, qui semel in anno proprio sacerdoti confiteri, & tempore Paschali Sacramentum Eucharistiæ suscipere voluntariè neglexerint, c. *Omnis*. 12. de pœnit. & remiss. V. l. 5. tit. 28. Duodecimò, Religiosus manifestus proprietarius, c. 2. & 4. de statu Monach. de quibus infra. Decimo tertio, qui decimas Ecclesiæ non solvit, c. *Prohibemus*, de decimis; de quibus hic tit. 30. Decimò quartò, publicus, & notorius peccator, decedens in mortali, &c.

Circa præmissos casus not. 1. non excludi à sepultura in loco sacro, qui casu submersi sunt v. g. lapsu ex ponte, causâ fugæ arrepto per eum cursu, & habetur c. *ex parte*. 11. h. t. nec eos, qui ex lethali vulnere sponte sibi inflicto moriuntur, autè mortem tamen penitentes; nec repositos exanimatos, imò etiam pendentes ex suspensio, nisi constet ipsos sibi sponte mortem concivisse; quod non præsumitur. Not. 2. cum dicimus excommunicatum excludi à sepultura in loco sacro, intelligi de illo, qui talis est ex causa publica, non occultè; sic enim non est vitandus. Not. 3. quando dicitur in casu, quo Ecclesia

fia recipitur ad divinum cultum, in qua prius fuit exercitium hæreticorum, aut infidelium, eorumque cadavera inibi humata, hæc prius esse exhumanda, non intelligi de hæreticis *toleratis*; & sufficienter reconciliari asperione aquæ benedictæ per sacerdotem aliquem, ut notat Pirhing *h. t. num. 71. Not. 4.* prohibitionem illam non intelligi de excommunicato etiam vitando, sed pœnitente mortuo, licet ante mortem absolutus non sit per c. *Parochiano. 14. h. t.* sed de his ex professo agimus *l. 5. tit.*

§. 2.

Quæ sit pœna sepelientium alienum Parochianum?

2420 **S**ermo est de his, qui jure prohibentur sepelire talem; nam ex eo præcisè, quòd quis non sit parochianus Ecclesiæ, in qua non recepit sacramenta, vel quod de illius Ecclesiæ districtu non sit, non committitur culpa illum sepeliendo in alia Ecclesia, si elegit inibi sepeliri electione non reprobata jure, ut constabit ex seqq. adeoque non incurritur pœna; quibus notatis, facta quaestioni occasionem præbet c. *ex parte. 5. h. t.* ubi, cum Prior de Insula, post appellationem à Canonicis Obrigen-sibus factam, quendam Parochianum suum in sua Ecclesia sepelisset, mandavit Pontifex illum compelli ad corpus Canonicis restituendum, & ut amicabiliter cum illis conveniat, & c. *cum liberum. 7. cod.* ubi, cum Presbyter quidam corpus cujusdam mulieris juxta ultimam illius voluntatem ad S. Martini Ecclesiam sepeliendum deferret, & Monachi quidam illud violenter raptum in sua Ecclesia sepelivissent, mandavit Pontifex, Monachos ad ossa defunctæ reddenda compelli, & beneficia, occasione sepultura recepta, priori Ecclesiæ restitui.

2421 Ex his deducitur. 1. quòd sepelientes Parochianum alienum (quem scilicet sepelire non poterant jure) cogantur Ecclesiæ (ubi tumulandus erat defunctus) cadaver ejus restituere, & vel amicabiliter cum ejus loci Parocho convenire, aut omnia, quæ ratione illius sepulturae acceperunt, restituere; deducitur. 2. Ecclesiam parochialem habere suam intentionem in

jure cõmuni fundatam, quòd apud ipsam ejus parochiani debeant sepeliri, nisi alibi habeant sepulturam suorum Majorum, aut alibi elegerint sepeliri electione jure non reprobata. Deducitur. 3. interdictionem esse omnem appellationem, quæ impedire possit cadaveris sepulturam; quia *sepultura hominis non recipit dilationem, l. ne corpora. ff. de Relig. & sumptib.* Unde Prioris appellatio non profuit, cum sepultura in c. *ex parte*, non ad ipsum, sed ad Canonicos spectaverit.

Deducitur. 4. eos, qui cadaver ejus, qui 2422 alibi legitime elegit sepulturam, violenter rapiunt, & in Ecclesia sua sepeliunt (ut factum est in casu c. *cum liberum supr. num. 2420.*) teneri illud restituere cum omnibus, quæ ipsius obtentu acceperunt, ut dicitur *cit. c. 7.* & hoc Farinacius in praxi crimin. *p. 1. q. 20. num. 123.* verum esse rectè tradit etiam de sacerdote Parochiali corpus ejus, qui alibi elegit sepulturam, violenter rapiente, & funus spoliante, quòd teneatur totum restituere, quod acceperit, & perdere debeat quartam canonicam.

Dixi: *qui legitime alibi elegit sepul-* 2423 *turam*; nam, si quis sepeliatur, qui eligere sibi non potuit sepulturam in tali Ecclesia (ut sunt impuberes) vel, qui quidem elegerunt, sed electione jure reprobata, similiter habent pœnam jure statutam; prima pars constat ex c. *In nostra. 10. h. t.* ubi de Hospitalariis, quantumvis alias haberent facultatem recipiendi ad sepulturam eos, qui apud ipsos elegerunt sepeliri, statuitur eisdem (nempe Hospitalariis) duximus injungendum, nisi probaverint, quòd G. parocianus Prioris, qui fuit interfectus in campis, apud ipsos elegerit sepulturam, universa, quæ ipsius intuitu ejus receperunt, Priori restituant memorato: alioquin, quartam partem solummodo restituere teneantur. Pro illis verò, quos constat intra annos legitimos decessisse, quæ sepultura eorum gratia receperunt, restituant universa. Secunda pars de electione sepulturae reprobata habetur ex c. *1. h. t. in 6.* quod regulimus supra: ubi etiam de pœna talem sepelientium, ac plena illius textus expositione.

Præter prædictos canones etiam in Cle- 2424 ment. *Eos, qui. 1. h. t.* in hac materia specialis pœna constituta est, qui sepeliunt

vel tempore, vel loco, *quo*, vel *quos* non licet; sic enim loquitur Clemens V. in CC. Viennensi: Eos, qui propria temeritatis audacia defunctorum corpora, non sine contemptu clavium Ecclesiæ, in cœmeteriis *interdicti tempore*, in casibus non concessis à jure; vel *excommunicatos publicè*, aut *nominatim interdictos*, vel *usurarios manifestos* scienter sepelire præsumunt: decernimus, facto excommunicationis sententiæ subjacere, à qua nullatenus absolvantur, nisi prius ad arbitrium Dioecessani Episcopi eis, quibus per præmissa fuerit injuria irrogata, satisfactio- nem exhibuerint competentem: Nullo eis circa præmissa exemptionis, vel quovis alio privilegio, sub quacunque forma verborum concessio, aliquo modo suffragante.

2425 Circa istam constit. not. 1. poenam hoc loco statutam esse excommunicationem ipso jure, seu facto latam, non absolvendam nisi præstita secundum arbitrium Dioecessani satisfactioe iis, quibus per talem actum injuria irrogata est; 2. hanc poenam incurri etiam ab Exemptis, si in prædictis aliquem sepeliendo peccent; patet ex textu, ibi: *nullo eis circa præmissa exemptionis privilegio, sub quacunque verborum forma concessio, aliquo modo suffragante.*

2426 Not. 2. actum, cui prædicta poena in cit. Clementina statuitur, esse illum, quo *ex quadam temeritate* in cœmeterio, vel suis Ecclesiis sepeliunt, tempore interdicti (ubi nimirum sepultura *Ecclesiastica* prohibita est, ut notat *gloss. hic, V. tempore*) vel in casibus non concessis à jure, de quibus à *num. 2416.* vel excommunicatos excommunicatione majori (intellige juxta n.) vel nominatim interdictos (igitur non interdictos *non nominatim*) vel usurarios manifestos, de quibus *n. 2418.*

2427 Not. 3. hanc poenam non incurri à sepelientibus tales, nisi hoc faciant *scienter*, cum propria temeritate, ac contemptu clavium; adeoque non, si hoc contingat ex ignorantia juris, vel poenæ tali delicto annexæ, ut tradidimus de lege poenali *L. 1. tit. 2. de Constitut.* Not. 4. quando prohibentur sepeliri *nominatim* interdicti, notari à *gloss. eod. V. idem esse*, ac *pro- priis nominibus eorum expressi*; sic Covarr. in c. *cum tibi, de testament. num. 5. & Menoch. de præsumpt. l. 4. præsumpt.*

9. à *n. 5.* & hinc *nominatim* dici excommunicatum, vel interdictum, quando *proprium nomen* exprimitur, tradunt *gloss. V. nominatim*, in c. *cum & plantare*, §. *excommunicatus, de privileg. & alia V. nominatim*, in c. *constitutionem, de sentent. excommun. Covarr. inc. alma mater, p. 1. §. 2. num. 8. Gutier. canon. lib. 1. c. 1. num. 27. Suar. tom. 5. de censuris. D. 9. sect. 2. num. 10. Sayr. in simili tract. l. 2. c. 12. num. 17. & l. 5. c. 1. num. 11.*

Not. 5. hanc poenam statui in *sepelien- tes* tales jure prohibitos sepeliri, ubi advertendum illum terminum *sepelientes*, cum dispositio hujus Clementina sit *pœnalis*, exponendam strictè, nimirum in sola naturali & propria vocis significatione: non autem juridica, & lata. 2. hic agi non tantum de actu *physico* sepeliendi, sed etiam *Ecclesiastico*, nimirum juxta ritum Ecclesiæ præscriptum in humandis fidelium defunctorum cadaveribus; *sepelire* porro, quatenus importat actum physicum sepeliendi, est in sepulchrum immittere, seu inferre, & humo congesta contegere, ut notat Pereyra in Elucidario, *num. 1129.* quo fit, exercentes alios actus, ab his distinctos (ut *fabricare tumbam, portare funus, comitari*) non venire appellatione actus *physicè sepeliendi* in stricta significatione: nec etiam *sepeliendi Ecclesiasticè*, actus *preferendi crucem, pulsandi, &c.* sed solum actum, quo Ecclesiasticus exercet ritum ab Ecclesia præscriptum in sepultura fidelium; ita Pirhing. *h. t. num. 80.*

Tamet si verò Abbas in *dict. Clem. n. 2420* 22. apud Pirhing. cit. velit huic poenæ subjacere omnes *proximè* cooperantes tali sepulturæ, adeoque etiam eos, *qui funus comitantur, qui cantant, crucem, & luminaria deferunt*; alii, etiam *consulentes*, vel *non impediendes*, cum possent, & deberent: quia tamen hæc constitutio pœnalis est, consequenter non extendenda ultra eos, qui vel *physicè*, vel *Ecclesiasticè* sepeliunt, nimirum cadaver inferendo ipsi terræ (quod non præstant, qui sunt *precisè portitores* Sacrophagi, seu tumbæ) vel exercendo ritum Ecclesiæ in sepeliendo, quem facit solus Ecclesiasticus nomine Ecclesiæ; id, quod tenet *gloss. in cit. Clement. V. sepelire*; Suarez de *Cen-*

Censur. D. 12. sect. 4. à num. 10. & alii Mandantes tamen, & procurantes ejusmodi cadaveris sepulturam, ac exequentes, juxta veriorum sententiam omnino censentur comprehendi, ut notat Pirhing. *h. t. num. 80.* Mandans enim, & procurans actiones illas sepeliendi principaliter est author operis prohibiti.

2430 Not. 6. ad questionem, quam poenam incurrant Religiosi, vel Clerici seculares, qui contra constitutionem Bonifacii VIII. *inc. 1. h. t. in 6.* aliquos ad vovendum, jurandum, aut promittendum inducunt, ut eligant sepulturam in eorum Ecclesiis, vel jam electam non mutant, consistat *ex dict. à num. 2388.*

2431 Not. 7. in Extravag. *Detestande*, inter communes *h. t.* statutum esse à Bonifacio VIII. quod corpora defunctorum *exenterantes*, vel *membratim*, seu in frusta *immaniter*, id est, crudeliter *concidentes*, & aquis decoquentes, ut ossa à carnibus separata in terras suas deferant tumulanda, sint ipso facto excommunicati, cujus censuræ absolutio Papæ (præterquam in mortis articulo) est reservata: & insuper corpus quoque sic inhumaniter tractatum Ecclesiasticâ careat sepulturâ: ideoque in detestationem facti hujus, sive carnificinæ, & sequelæ ejus: ac proinde hic puniuntur defunctus sine culpa sua, etsi non sine causa, *gloss. hic V. sepultura.*

Not. tamen. 8. huic constitutioni non esse locum in cadavere mortui dato Medicis ad Anatomiam, ut praxis testatur: vel si exenteretur cadaver, ne foetet: quia ex rationabili causa sepultura differtur: item si fiat cum his, qui moriuntur in terris infidelium, ubi non est sacer locus, in quo sepeliri possint, *Navarr. in man. c. 27. n. 105.*

ARTICULUS VI.

De portione canonica, debita Ecclesie Parochiali.

2432 **P**ortio canonica est illa, quæ approbatur per canones, & per eosdem debetur Ecclesie; talis habetur Clement. *Audum, de sepult. c. de his, & c. decernimus. 10. q. 1. & c. Constitutum. 16. q. 1.* est duplex, altera *Episcopalis*, altera *Parochialis*. Episcopalis portio, quæ frequentius quarta *Episcopalis* appellari so-

let, est illa, quam Episcopo debent omnes Ecclesie, quæ sunt in ipsius diocesi constituta, ex omnibus bonis, quæ ipsis relinquuntur, & obveniunt: estque tertia, vel quarta pars. *Parochialis* autem (ut describit Pereyra in *Elucidario l. 2. Elucidat. s. sect. 2. num. 848.*) quæ similiter *Quarta Parochialis* (& alio nomine *Quarta funeralis* dicitur) est illa, quam habet Ecclesia parochialis ex his bonis, quæ parochiani legant, sive relinquunt, vel offerunt ratione funeris, cum quis alicubi extra parochialem eligit sepulturam: estque dimidia, vel tertia, vel quarta pars juxta diversas Ecclesiarum consuetudines, *c. certificari, de sepult.*

Addit autem Pereyra citatus, *quarta* 2433 deberi ab omni Ecclesia, in qua quis sepelitur, vel ad quam se transfert, etiam si alioqui sit *exempta*; & quidem ex omnibus, quæ obveniunt *ratione funeris*, nimirum *in die*, quo quis sepelitur, & *ex omnibus, quæ legantur Ecclesie*, in qua quis sibi eligit sepulturam, sive res mobiles sint, sive immobiles; non autem, si legatum sit *personæ*, non loco. Unde multa de utraque quarta apud Azor *tom. 2. l. 9. c. 12. & 13.* Non agimus hic de portione Episcopali (nam de hac V. dicta sup.) sed parochiali, propter quam frequentes nascuntur lites non tantum inter Parochos ex una, & Regulares ex altera parte; sed inter ipsas etiam Ecclesias Parochiales, si Parochianus elegit sepulturam in alia, non verò sua, & in ea Parochiali Ecclesia sepultus est electa inibi sepulturâ, ut constabit ex seqq.

Difficultas est, an hæc obligatio, ex constitutione canonum introducta, ut ab ea Ecclesia, in qua quis sepulturam elegit extra Parochiam, nihilominus solvatur quarta funeralis Ecclesie Parochiali, nullam patiatur exceptionem? 2. ex quibus bonis, & rebus defumi, seu detrahi debeat ea portio, & dari Parochiæ? ut in hac re clarius procedatur, afferam verba canonum, super hac materia disponentium; tum etiam, quod in hoc puncto jure CC. Tridentini constitutum est, ac explicatum declarationibus summorum Pontificum.

Igitur *c. Nos instituta. 1. h. t.* statuit 2435 Leo III ut, qui eligit alienam sepulturam, *tertiam partem sui judicii illi Ecclesie det, in qua celesti pabulo refici consuevit.* In *c. Relatum. 2. eod.* habetur, quod volens

volens converti in Monasterio sive in morte, sive in vita, *omnium rerum*, & possessionum, quas *pro salute anime sue* decrevit disponere, *medietatem* Ecclesie, ad quam dignoscitur pertinere, relinquat; c. *Fraternitatem*. 3. *cod.* quod, ubi quis sepulchro majorum relicto eligit sepulchrum in loco minus religioso, dolo inductus, seu ex contemptu, seu non demissa Ecclesie sue canonicam portione expressè, vel tacite, non teneat electio; c. *de his*. 4. *cod.* sic Alexander III. scribit Episcopo Cephalen. de his, qui in infirmitate, vel sanitate cum bonis suis ad religiosa loca se transferunt, nihil tibi vel Ecclesiis, à quibus ceperunt salutis pabula, relinquentes, hoc tunc volumus prudentia innotescere, quod, *si in egritudine ipsa ad religionem transeant, dummodo de egritudine illa decedant, de bonis suis ipsis Ecclesiis, à quibus assumpti fuerint, canonica debet portio exhiberi.* Si verò ad religiosa loca se in sanitate transfererint, de his, quæ locis ipsis conferent, cogi non possunt aliquid præceptis Ecclesiis impertiri, quia liberum est eis tunc bona sua, non solum religiosis, sed etiam quibuslibet privatis conferre personis.

2436 Deinde in c. *Cum super*. 8. *b. t.* statuit Lucius III. ut, si aliquis parocianorum Ecclesie Cathedralis alibi eligat sepulturam, de testamento ipsius (seu, ut exponit rubrica *de ipsius funeralibus*, seu *relictis Ecclesie sepelienti*) quarta Capitulo Ecclesie Cathedralis debeatur; cum autem Clementi III. propositum esset, quomodo illa clausula, quæ in privilegiis solet apponi, *salva justitia illarum Ecclesiarum*, à quibus mortuorum corpora assumuntur, intelligi debeat, & exponi? respondit Clemens: cum super hoc articulo diversa Antecessorum nostrorum manaverint instituta: Leone justitiam illam quandoque *tertiam* partem, quandoque *mediam*; & Urbano, *quartam* fore censentibus: nos tale præbemus in hac varietate responsum, ut, sicut B. Hieronymus inquit, *unaqueque provincia in suo sensu abundat*, secundum rationabilem consuetudinem regionis illa justitia circa *medietatem*, vel *tertiam*, aut *quartam* partem, pro locorum diversitatibus, attendatur.

2437 Tertiò in c. *In nostra*. 10. *b. t.* de eadem portione Parochiali, Innocentius III.

post expositam inter Hospitalarios, & Priorem Ecclesie Montis Ferrand. controversiam, talem, inquit, super his sententiam duximus proferendam, quod prædicti Hospitalarii de cætero non recipiant parocianos Ecclesie supradictæ ad Ecclesiasticam sepulturam, *nisi apud eos elegerint sepeliri*; & tunc parocialis Ecclesia de oblationibus, lectis, & aliis, quæ defunctus *pro anima sua, in ultima dispositione reliquit*, præterquam de equis, & armis, recipiat *quartam partem*; & Hospitalarii, *residuum* habeant, nisi dolo, vel fraude eorum, defunctus inductus fuerit ad dispositionem hujusmodi faciendam.

Quartò, in c. *Cum quis*. 2. *b. t.* in 6. statuit Bonifacius VIII. quod, cum quis, cujus majores sunt soliti ab antiquo in aliqua Ecclesia sepeliri, eam demissa eligit alibi sepulturam: canonica portio *dimissa* non debetur *Ecclesie*, sed illi duntaxat, in qua ille *officia consuevit audire divina*, & Ecclesiastica recipere Sacramenta. Cum ab eo, qui duo habet domicilia se collocans æqualiter in utroque, loco tertio eligitur sepultura: domiciliorum Ecclesie habebunt inter se dividere canonicam portionem; deinde in Clement. *dudum*. 2. *cod.* postquam Pontifex dixit: se statutus, & ordinationibus præmissis etiam hoc adjicere, ut prædicti Fratres in Ecclesiis, vel locis suis ubilibet constitutis, liberam, ut sequitur, habeant sepulturam eorum, qui apud ipsos elegerint sepeliri, subjungit auctoritate Apostolica se constituturæ, & ordinare, ut *dictorum ordinum Fratres*, de obventionibus omnibus tam funeralibus, quam quibuscunque, & quomodocunque relictis distinctè, vel indistinctè, ad quoscunque certos, vel determinatos usus, de quibus etiam quarta, sive canonica portio dari, sive exigi non consuevit, vel non debet de jure: nec non de datis, vel qualitercunque donatis in morte, seu mortis articulo in infirmitate donantis, vel dantis, de qua decesserit, quomodocunque directè, vel indirectè fratribus ipsis, vel aliis pro eisdem quartam partem (quam auctoritate Apostolica taxamus, & etiam limitamus) parocialibus sacerdotibus, & Ecclesiarum Rectoribus, seu curatis largiri integrè teneantur; hoc prius constitutum fuerat in Extravag. *super Cathedralam*, inter communes, *cod.* ubi notatur in Rubrica

brica, dictam Extravag. revocatum esse per Extravag. *inter cunctas, de privileg.* sed denuò resuscitatam à Clemente per dict. Clement. *Dudum.*

2439 Ex istis juribus deducitur, Ecclesie parochiali, quando aliquis ejus Parochianus extra illam sepelitur in alia, ubi sepulturam sibi elegit, nihilominus deberi portionem funeralem ex omnibus, quæ occasione funeris, ac sepultura obveniunt Ecclesie sepelienti; neque hoc jus amitti, esto talis Parochianus aliò translatus ad tempus aliquod recreationis, vel negotii causâ, non electâ sibi sepulturâ ibi, decedat, ut habetur c. *is, qui. 3. h. t. in 6.* Quarta porrò debet esse illa portio, Parochie debita, tamen si secundum aliquos dicatur *tertia*, subinde *quarta*, & quandoque etiam *media* de omnibus relictis Ecclesie sepelienti; determinatum tamen est, ut *in hac quantitate* non stetur voluntati Parochorum, sed legitime, ac receptæ locorum consuetudini, ut clarè constat ex aperto textu in n. 2436. his præmissis:

S. I.

An omnes Ecclesie teneantur ad quartam funeralem Parochie persolverendam?

2440 PRO hac quæstione referuntur variae decisiones sacre Congregat. quæ videri possunt apud Barbof. in Trid. *sess. 25. c. 13.* Tridentinum autem loco jam cit. de quarta funerali, Parochie debita, sic loquitur: Decernit sancta Synodus, quibuscunque in locis, jam ante annos quadraginta, ut quarta, (quæ funeralium dicitur) cathedrali, aut parochiali Ecclesie solita esset persolvi, ac postea fuerit, ex quocunque privilegio, aliis monasteriis, hospitibus, aut quibuscunque locis piis concessis, eadem posthac integro jure, & eadem portione, quæ antea solebat, cathedrali, seu parochiali Ecclesie persolvatur: non obstantibus concessionibus, gratiis, privilegiis, etiam Mari magno nuncupatis, aut aliis quibuscunque; ex hoc textu (seclusa declaratione Pii V. de qua num. 2442.) deducitur quartam funeralium, Ecclesie Cathedrali, vel parochiali, jam ante 40. annos, & postea solitam persolvi à quibuscunque locis, etiam posthac eodem jure, Tom. III.

ac portione, quæ antea solebat, eidem persolvendam esse, non obstantibus quibuscunque privilegiis etiam Mari magno nuncupatis; ubi not. hoc jure novo Tridentini de solvenda etiam deinceps quarta funerali, non comprehendi Ecclesias, Monasteria, & loca pia, nisi 40. annis ante Tridentinum fundata fuerint, & quartam persolverint per illos retro 40. annos, ac postea; certum autem est, aliquas nunc extare familias Regulares, Monasteria, & loca pia, quæ 40. annis ante Tridentinum fundata non fuerunt, consequenter nec quartam eo tempore, & postea, persolverint; ergo jure novo Tridentini etiam nunc non tenentur. Et not. in Tridentini decreto specialiter fieri reflexionem ad ea, quæ de sepulturis constituta sunt in Sexto Decretal. & Clement. *dudum* (quæ inibi annotantur) & hoc non obstant, decretum illud sub relata forma conditum, & à Pio IV. confirmatum esse, consequenter & ipsam exceptionem omnium locorum piorum, quæ 40. annis retro, seu ante Tridentinum fundata non fuerant, nec quartam persolverunt; cum expressè illa solum obliget ad eandem posthac solvendam; quæ 40. annis prius, ac postea solverunt; ergo non illa, quæ prius non, nec postea.

2441 Et hæc resolutio de Monasteriis, quæ 40. annis prius non solverunt, nec deinde ad solutionem quartæ obligandis, fundamentum etiam habet in jure communi; c. *de quarta. 4. de prescript.* ubi clare dicitur, quadraginta annis præscribi contra quartam oblationis defunctorum, quæ etiam quarta mortuorum, & funeralium appellatur, c. *Conquerente, de offic. ord. Trid. sess. 25. de reform. c. 13.* juxta Covarr. & alios; ex quo textu dicti c. *quarta* deducitur, quod canonica portio Episcopo, imò & Ecclesie parochiali debita quadragenariâ præscriptione tollatur, sic etiam Miranda in Manual. Prælat. tom. 2. q. 48. à 5. conclus. 2. Barbof. de potest. Episcopi p. 3. alleg. 86. num. 39. & alii communiter.

His addenda est Constitutio Pii V. incip. *Esti Mendicantium.* 17. Kal. Julii. 1567. post Tridentinum confirmantis, ac de novo concedentis omnia Mendicantium privilegia, ubi de hac materia quartæ funeralis sic loquitur: *Quartam autem*

Bbbb *funer-*

funeralium, (de qua sess. 25. c. 13.) nequaquam solvere teneantur monasteria, quæ à 40. annis citra fundata existunt, postquam Concilium ipsum loquitur tantum de monasteriis ante annos 40. fundatis, quæ ipsam quartam solvere consueverunt: ex hac igitur summi Pontificis declaratione manifestum fit, Monasteria Mendicantium, quæ à 40. annis citra fundata sunt, nequaquam teneri quartam solvere; cum Concilium expressè loquatur solum de illis, quæ ante 40. annos fundata, quartam solvere consueverunt.

Hanc Pii V. declarationem secuta est Rota Romana in causa *quarta funeralium*, mota contra Monasterium Regularium, primò fundatum post publicationem Tridentini; & contra Actorem pro *quarta*, ab eo Monasterio petita resolvit, non teneri propter hoc, quod in decreto Trid. non sit comprehensum; sed exceptum, utpote necdum fundatum ante illud. Hanc decisionem refert Barbosa *p. 3. allegat. 86. à num. 17.* verba decisionis contra oppositionem Actoris factam ab Actore, se fundante in Tridentino, sunt seqq. ut refert Barbosa *cit. ibid. n. 18.*

2443 *Nec obstat*, inquit Rota, *Concilium Tridentinum sess. 25. c. 13. de reform.* quia, cum istud monasterium sit fundatum post publicationem Concilii, & *quatenus esset fundatum antea, cum non esset solitum solvere dictam quartam, Concilium ei non obstat*, ut declaravit sanctissimus Pius V. in sua constit. de anno 1567. quæ refert Archangel. Caraccia de quarta funeralium, *c. 1. Gut. de juram. confirm. p. 2. c. 4. n. 3. Emman. Roder. in quæst. Regularib. tom. 1. q. 41. a. 2.* & ita resolvit Congregatio Illustrissimorum Interpretum, ut refert Rodriq. loco prædicto.

2444 Et cum ulterius opponeretur, dictam Constitutionem Pii V. *fuisse revocatam* per Gregorium XIII. eadem Rota in illa decisione respondit, *non esse verum, quod prædicta Constitutio Pii V. fuerit revocata per Gregorium XIII.* ut in ejus Bulla, quam refert Navar. *in man. c. 27. in fine*, quia cum dicta Bulla Pii plura contineret, *per Gregorium redacta fuit ad terminos Concilii*, ut censuit sacra Congregatio Illustrissimorum Interpretum, sicut refert Caraccia loco citato, qui etiam in fine tractatus refert, ipsam declarationem, ut be-

ne advertit Gutierrez loco citato. Hactenus dicta decisio, quæ etiam reperitur impressa apud Ascanium Tamburinum de jure Abbatum *tom. 3. decis. 84.*

Dices: si Gregorius XIII. constitutionem Pii V. reduxit ad *terminos Concilii*, ut dictum est, debetur quarta, ut decrevit Concilium; sed Concilium decrevit quartam Parochiæ solvendam, *integro jure, eadem portione*, qua antea solebat; ergo etiam post constitutionem Pii V. ex hoc argumento sequi non tantum post constitutionem Pii V. sed etiam Gregorii XIII. Monasteria, quæ ante Tridentinum quartam solvere *non solebant*, nec etiam *posse* (ut si primò post publicationem Tridentini fundata sint) solverint, *non teneri ad quartam etiam nunc solvendam.* Cum, ut dictum est, constitutio Pii V. reducta sit ad terminos Tridentini; sed in terminis hujus Concilii Monasteria prius quartam solvere non solita, nec posthac tenentur, ut ostensum est; ergo.

2. cum dicitur, constitutionem Pii V. reductam esse ad terminos Concilii, aliud non significari, quam, ut Monasteria, quæ vi Conciliaris decreti tenentur *ad quartam*; eandem posthac solvant *integro jure, & eadem portione*, qua antea solebant; igitur etiam stante hac reductione ad nihil tenentur etiamnum illa, quæ ante Tridentinum fundata non erant, consequenter nihil solvebant; sed talia sunt plurima; ergo contra dispositionem Tridentini, Pii V. & Gregorii XIII. Presbyteri parochiales à talibus Ecclesiis exigunt quartam parochialem.

Deinde, planè mirum est, quòd aliqui Parochi in casu, quo cadaver alicujus parochiani sepelitur in alia Ecclesia, *jure exigant v. g. omnes facces, omnes candelas, linteam totum* (vulgo *überthan*) quod in quibusdam locis infra funeralem pannum, seu nigrum integumentum tumbæ imponitur, &c. cum sit clari juris, non deberi illis de jure communi, & etiam dispositione Pii V. ac aliorum, (in casu, quo jure illis debetur *quarta* ex his, quæ cum funere deferuntur ad Ecclesiam sepelientem, extra Parochialem) *omnia*, sed solum *ex illis omnibus pars quarta, vel tertia, vel media*, juxta locorum legitimam consuetudinem; prorsus igitur immerito, & nullo jure, quandoque rapiunt *omnes facces*, ante-

antequam funus inferatur Ecclesiae sepelienti, si Parochialis non sit; nam si talis Ecclesia tenetur illis permittere *quartam* (quod negatur de his, quæ primò post publicationem Tridentini fundatæ sunt, ut constat ex num. 2442.) non tenetur illis permittere *omnes*; sed ex *duodecim* v.g. *tres*, si habeat *quartam*; quatuor, si habeat tertiam; sex, si mediam partem, juxta diversam locorum consuetudinem; & sic de aliis; illæ verò, quæ ante Tridentinum fundatæ non erant, atque adeo nihil solvebant per 40. annos anteriores, *nihil omnino* tenentur illis relinquere de his, quæ cum funere deferuntur ad Ecclesiam, salvâ tamen stola, quam exigere possunt ab his, qui curant tale funus.

2448 Advertend. præterea, quòd suppositâ constitutionis, seu declarationis à Pio V. editæ reductione ad terminos Tridentini, ut dicit objectio in num. 2445. Pontifex se remittat ad solvendam *posthac* quartam jure integro, ac eadem portione, *qua antea solebat*: quæ verba, si rectè attendantur, multa in se continent. 1. enim inferitur, ut jam dictum est, eas Ecclesias nec *posthac* teneri ad solvendam quartam, *quæ antea non solebant*; sed quæ ante Tridentinum fundatæ non erant, illæ *antea* quartam, *solvere non solebant*, ut liquet ex terminis; ergo. 2. inferitur non teneri etiam *posthac* ad portionem illam in alia mensura quàm in qua *antea solebant*; igitur Parocho, nunc de certis rebus cum cadavere delatis ad Ecclesiam, exigenti *quartam* ab aliqua Ecclesia (si hæc teneretur ad quartam) incumbit onus probandi, *antea de his solitam esse per solvi quartam* in hac portione, *in istis rebus*, extra taxam stola, &c. nam obligatio *posthac* solvendi quartam taliter, vel *de talibus*, est solum ex suppositione, quòd *antea* solita esset taliter, & *de talibus* persolvi.

2449 Nec juvat, si recurras ad *consuetudinem*, ut nimirum hæc, quæ nunc est, sit argumentum ejus, quod olim fuit; nam obligatio *posthac* solvendi, fundatur in consuetudine, quæ *antea* fuit, ibi: *antea solitam*; certum autem est, consuetudinem, quæ nunc in aliquibus locis per ejusmodi Curatos inducta est, esse planè diversam ab ea, quæ *antea* fuit; & jure sacro approbata est. *Antea* autem nihil in funeribus & sepulturis Curatis licebat exigere, nisi,
Tom. III.

quod *pia fidelium devotione* introductum est, ut dicitur c. *ad Apostolicam*. 42. de Simonia; certum autem est nunc planè diversam à quibusdam Curatis consuetudinem, proprio quandoque ipsorum arbitrio introductam esse; ergo hæc nequit esse argumentum præsumendi, *consuetudinem*, quam approbat Tridentinum, ibi: *ante solitam*, fuisse eandem *ante*, ac nunc est.

2450 Textus in c. *Ad Apostolicam*. 42. de Simonia, sic habet: *ad Apostolicam audientiam*, inquit Innocentius III. *frequenti relatione pervenit, quod quidam Clerici pro exequiis mortuorū, & benedictionibus nubentium, & similibus, pecuniam exigunt, & extorquent: & si forte eorum cupiditas non fuerit satisfactam, impedimenta fictitia fraudulentè opponunt: E contra verò quidam laici laudabilem consuetudinem erga sanctam Ecclesiam, piâ devotione fidelium introductam, ex fermento hæreticæ pravitis nituntur infringere, sub prætextu canonice pietatis.* Quapropter super his, *pravas exactiones fieri prohibemus, & pias consuetudines præcipimus observari*: statuentes, ut *libere* conferantur Ecclesiastica Sacramenta; sed per Episcopum loci veritate cognitâ compescantur, qui *malitiosè* nituntur *laudabilem consuetudinem* immutare. Duo notantur in hoc textu; utrumque continetur in illis verbis: in funeribus & exequiis mortuorum *pravas exactiones fieri prohibemus, & pias consuetudines* (pia fidelium devotione introductas) *præcipimus observari*; cognitio autem eorum, quæ videtur ejusmodi laudabili consuetudini contraria, non ad Parochos, sed ad Episcopos pertinet, ut liquet ex claro textu; & observandum, quòd textus, ubi Pontifex vult per Episcopos urgeri observantiam laudabilis erga sanctam Ecclesiam consuetudinis piâ fidelium devotione introductæ, ac eos compesci, qui eam nituntur immutare, loquatur *de Laicis ex fermento hæreticæ pravitatis* nitentibus eam infringere sub prætextu canonice pietatis: ergo non de his, qui eam recusant *titulo exemptionis, privilegii, præscriptionis*, consuetudinis alienæ ab *inducta Fidelium devotione*.

Præter hæc not. 1. Concilium Tridentinum. 2451
Bbbb 2 num

num fuisse confirmatum 27. Januar. 1546. ut refert Barbofa p. 3. *de offic. & potest. Episcopi, allegat. 86. n. 19.* Not. 2. inter privilegia eximentia certos ordines Regulares à solutione quartæ, esse privilegium Julii II. concessum Minimis de an. 1506. & aliud ejusdem Pontificis concessum Minoribus de observantia anno 1511. sui Pontificatus 8. & aliud Pauli III. concessum Minoribus anno 1544. & postremo aliud Pauli IV. concessum Ordini Prædicatorum an. 1556. quæ per extensum refert Archangelus Caracia de quarta funeralium, cap. 1. sic Barbof. cit. n. 17. Not. 3. Monasterio Regularium, cum quo de quarta solvenda contendeat Decanus Licienfis (ut refert Barbof. cit.) per communicationem concessa esse à Paulo IV. & Gregorio XIV. omnia privilegia illorum Regularium, de quibus not. 2. consequenter etiam privilegium illos eximens à solutione quartæ.

2452 Not. 4. in Bulla Pauli V. quæ est 4. & incipit: *Decet Romanum Pontificem.* 20. Augusti 1605. fieri aliquam mentionem, quod, cum quæreretur, an *Monasteria ante annos quadraginta edificata deberent quartam funeralium solvere.* Eminentissimi S. R. E. Cardinales, Decretorum Sacri Concilii Tridentini interpretes, consuetint, Monasteria ædificata à quadraginta annis *citra*, non teneri ad solutionem quartæ funeralium hujusmodi, si modo sint ejus Religionis, cui à sede Apostolica ante quadraginta annos indultum sit, ut eandem quartam non teneantur solvere Episcopo; sic Barbof. cit. n. 19. §. & ita; ergo etiam nec Parochiæ, si habeant privilegium, seu exemptionem: Tridentinum enim Monasteria, quæ 40. annis prius non erant fundata, consequenter nec quartam solvere *solita*, eximit à quarta Parochiali, quæ funeralis dicitur; ergo ab eadem non tantum Episcopo, sed etiam Parochiæ solvenda, eximuntur non tantum dicta Monasteria, eo titulo, quod 40. annis antè non fuerint *solita* solvere; sed etiam titulo privilegii; nec enim obstat ea clausula Concilii, *non obstantibus*, quæ habetur in fine decreti relati num. 2440. nam Concilium loqui in præsentem de privilegiis concessis à 40. annis *citra*, & non procedere in privilegiis antiquissimis concessis per 40. annos *ante* publicationem

Concilii, refert decimum Lavor. tit. 2. c. 3. num. 183. apud Barbof. in *Trid. sess. 25. de Reform. c. 14. n. 5.*

§. 2.

Ex quibus rebus desumi debeat quarta funeralis Parochiæ præstanda?

2453 **H**Æc quæstio eas solum Ecclesias tangit, quæ nullo etiamnum jure liberantur ab onere solvendi portionem canonicam Ecclesiæ parochiali, si in ea hujus parochianus sepulturam elegit, ac tumulatus est. Ex Tridentino quidem habetur, etiam nunc solvendam integro jure, ac eadem portione, qua antè solebat; sed ex quibus rebus ea portio detrahenda sit? non specificat. Pius V. in sua constitutione, de privileg. Mendicantium non solvendi quartam, de qua num. 2442. de hoc ita loquitur: *ubi (quarta) solvi consuevit à Monasteriis Mendicantium (pura, si 40. annis ante Tridentinum eam solvere solita sint) id tantum cerne, & aliorum, quæ in aliquibus partibus deferri contigerit tempore, quo defunctorum corpora ad sepulturam deferuntur;* non autem *de missis, seu legatis, vel aliis fratribus ipsis, seu Monialibus relictis, aut aliis quomodolibet donatis solvi debet, sicque intelligi Concilii decretum quoad quartam hujusmodi solvendam debere decernimus.* Ubi verò non est consuetudo solvendi quartam hujusmodi, de nullo supra scriptorum solvi debere declaramus, refert Lavor. var. lucubrat. tom. 1. tit. 2. c. 3. num. 182. apud Barbof. in *dist. c. 13. Trid. n. 1.*

2454 Ex jure communi etiam parum colligi potest; nam frequenter agit de portione canonica *in genere*, non distinguendo, an ex iisdem decerpenda sit portio *Episcopalis, & Parochialis?* Sic c. 1. h. t. dicitur, relinquendam Ecclesiæ, in qua cœlesti pabulo refectus est, tertiam *partem sui judicii*; sed, ex quibus? nihil dicit. In c. *relatum. 2. eod.* non agitur de funerali præcisè; & quod dicitur, volentem converti in Monasterio sive in vita, sive in morte, debere *medietatem* omnium rerum, & possessionum, quas pro salute animæ suæ disponit, relinquere Ecclesiæ; ad quam pertinet, quoad portionem *Episcopalem* usu recepto contrarium haberi, ut dixi.

diximus sup. quoad *parochialem* in legatis non obtinet, ut constat ex dict. & dicendis; & sequitur ex c. *de his* relato n. 2435. In c. *cum super*. 8. h. t. fit tantum mentio quartæ de relictis Ecclesiæ sepelienti; sed nec hoc locum habet in quarta parochiali sic indefinite.

2455 In c. *In nostra*. 10. h. t. parochialis dicitur detrahenda ex oblationibus, lectis, & aliis, quæ defunctus pro anima sua in ultima dispositione reliquit, ut habetur *num.* 2437. sed hoc generale est; in Clementina, *dudum* (de qua *num.* 2438.) materia, ex qua decerpenda sit quarta, nominatur, *quidquid est de obventionibus tam funeralibus, quam quibuscumque, & quomodocumque relictis, distinctè vel indistinctè*, ad quoscunque certos ac determinatos usus, de quibus etiam canonica portio dari non consuevit, vel non debet de jure. Sed nec istud obtinet in portione *Episcopali*, ut constat ex dict. sup. nec in *parochiali*, prout demonstrat receptissima praxis ipsorum etiam Parochorum nihil exigentium ab Ecclesiis, quæ tenentur dare *quartam*, nisi ex his tantum quæ deferuntur ad Ecclesiam sepelientem occasione funeris; qualia non sunt legata, vel donata causâ mortis Ecclesiæ sepelienti; & taxam stolæ, sicubi usus est ultra istam aliquid relinquendi parochiæ ab alia Ecclesia ipsius parochianum sepelienti.

2456 Stando in Constitut. Pii V. de qua *num.* 2442. sequitur, *quartam* Ecclesiæ parochiali *debitam* ab aliis Ecclesiis (quæ ad eam tenentur) non esse decerpendam, *ex missis, legatis, vel aliis quomodolibet donatis*; sed tantum *de cera, & que in aliis partibus deferri contigerit tempore, quo defunctorum corpora ad sepulturam deferuntur*, ut constat ex Bullæ verbis in *n. cit.* hæc Pii V. declaratio conformis est juri communi, ut aperte colligitur ex c. *fin. de Testam.* ibi: *de his, quæ in ornamentis, vel pro eis, seu fabrica, luminariis, anniversario, septimo, vigesimo, tricesimo die, sive aliis, ad perpetuum cultum divinum legantur Ecclesiis, vel reliquis piis locis, canonica portio* (dummodo in fraudem non fiat, ut eâ Episcopus, seu parochialis Ecclesia debeat defraudari) *deduci non debet*, quo habetur, nec in hoc aliquid derogatum illi per reductionem eius ad terminos Conci-

lii, cum hoc nihil aliud velit, quam solutionem *antea fieri solitam*, etiam posthac integro jure, ac eadem portione ab Ecclesiis, quæ tenentur ad quartam funeralem Parochiæ dandam; cum ergo jure communi constet *antea* non esse præstitam de his, quæ ipsum excipit; merito intelligi debet solum de cera, & iis, quæ in aliis partibus deferri contigerit, tempore, quo defunctorum corpora ad sepulturam deferuntur; ergo non de aliis, *quæ tunc non deferuntur cum funere*; nec ea omnia, *quæ etiam tunc deferuntur*; sed tantum *quartam*, ut dictum est *num.* 2447. sequitur 2. ubi non est consuetudo solvendi quartam, nec de cera, & aliis cum funere ad sepulturam delatis, quicquam Ecclesiæ parochiali debitum esse, ut constat ex declaratione Pii V. *supr. in n. cit.* cum & hoc sit juxta terminos Concilii, ibi: *quæ antea solebat.*

2457 Ex dict. deducitur, quod Ecclesiæ Parochiali ab Ecclesia sepeliente in data quaestione nihil debeatur propterea, quod cadaver defuncti pertinentis ad talem parochiam, sepultum sit in alia, ubi sepeliri elegit, nisi media, tertia, vel quarta pars (juxta loci consuetudinem) ceræ, & eorum, quæ tunc, quando funus ad Ecclesiam fertur, cum eodem ad talem Ecclesiam deferuntur; & hoc tantum, ubi est consuetudo solvendi quartam; & solum ab ea Ecclesia, quæ ante Tridentinum 40. annis retro eam solvere solebant, ut dictum est, à *num.* 2440. non igitur ab his, quæ 40. annis prius, quam Tridentinum publicarentur, fundata non erant, nec etiam solvere solita, non qualicumque locorum consuetudine, sed *laudabili Fidelium devotione introductâ*; & quoniam ante, præter hæc, quæ fidelium devotio introduxit, nihil jure propter sepulturas exigere poterant parochi, ut constat ex *num.* 2450. ubi tunc illis stola, seu taxa funerum constituta est, valde probabile est, illos nihil posse jure exigere præter illam, & taxam transivisse in vicem, seu locum quartæ.

2458 Cum Regularibus exemptis, qui recitant dare quartam etiam ex cera, & reliquis, quæ ipso die sepulturæ cum funere deferuntur ad Ecclesiam sepelientem, sæpius controversiam moveant Parochi, ac etiam ab eorum Ecclesiis sibi debitam contendunt, variis nixi tum juris textibus, alla-

tis supra *n.* 2435. tum etiam variis Sacra Congregationis decisionibus, allatis etiam statutis Concilii Mediolanensis, primi, *p.* 2. *de funeribus, & exeq.* ibi: *candelæ omnes, cerei, qui intortitia vocantur, quæ circa crucem, & cadaver ad Ecclesiam deferuntur; & alia, quæ circa feretrum, ac reliquis in locis, dum divina officia in funere celebrantur, hæredum impensâ accenduntur, ita Deo oblata intelliguntur, ut ejus Ecclesie sacræ addita sint; deinde ex eod. Concil. 2. decret. 16. & 4. p. 2. de funeribus, ibi: ne fiant pacta cum hæredibus, cenam superstitem illis restituendi.*

2459 Deinde adducitur decisio controversiæ hujus, ortæ inter Ecclesiam Lateranensem, & parochiam S. Eustachii Romæ; cum enim quidam ex familia Ursina, qui erat de parochia S. Eustachii, sepultus esset in Ecclesia Lateranensi, & quæstio mota esset, an funerale non factum *integrum* debeatur Ecclesie Parochiali, quando defunctus fuit sepultus in alia Ecclesia? quæ eadem quæstio etiam mota fuit inter PP. Augustinianos Romæ, & aliam Ecclesiam parochialem: in utroque casu decisum fuit *pro parochia contra Ecclesiam sepelientem*, de qua non fuit is, qui in ea sepultus est, statuendo, quod Ecclesia *non parochialis* nullum habeat jus prætendendi *funus non factum, ac ejus taxationem*. Addebatur ratio, quod Regulares *de jure communi* non habeant jus sepulturæ; sed tantum *privilegio*; privilegium autem privata Religionis, non habeat locum contra loci consuetudinem juxta Card. de Luca *de Regularib. tr. de Paroch. disc. 25.*

2460 Verum nec ista evincunt, Regulares Ordinis Mendicantium, & alios, quorum Ecclesie 40. annis ante publicationem Tridentini *quartam* parochialem de funeribus solvere non erant solita, de facto ad illâ teneri etiam ex cera, & reliquis, quæ cum funere in die sepulturæ ad Ecclesiam ejusmodi Regulariū deferuntur; ratio sumitur *ex dict. a n.* 2440. & *seqq.* quod etiam tradit Card. de Luca *l. 14. p. 1. de Regularib. discursu. 1. num. 57.* ubi agens de *quarta parochiali* ait: quod, *etsi in hoc regula assistat parochio, quoties agitur de funere ejus subditi; adeo ut ad ipsum jus sepeliendi tanquam parochiale pertine-*

at: subjungit tamen statim. nisi aliter concedant indulta Apostolica, quibus aliquæ Religiones, seu aliqua Monasteria particularia potiuntur, ut præsertim potiri videtur Religio Minorum observantium.

Ad allatas probat. & 1. ex cit. juribus, 2461 de quibus supra, & illa jura non esse contra Regulares Ordinis Mendicantium; & eas Ecclesias, quæ 40. annis ante Trid. fundata quartam solvere non solebant; nec etiam eas, quæ tunc fundata non erant; nec demum alias, quæ specialiter exemptæ sunt indulto Pontificio, quale indultum, ut diximus, Cardinalis de Luca num. præced. in Minoribus de observantia, consequenter omnibus, qui cum eis in privilegiis communicant; nec per Tridentinum privilegiis ante illud concessis derogatum esse, constat *ex n.* 2445. Quod adducitur ex decretis triplicis Concilii Mediolanensis, non servit ad eorum intentum; & militat contra ipsos opposcentes. Primo enim, quod citent *triplex* Concilium, errore non caret; nam, ut videri potest apud Joannem Cabasutum de Notitia Conciliorum S. Ecclesie c. 32. duo tantum extiterunt, non tria Concilia Mediolani, ubi agebatur solum de novis Orthodoxorum Episcoporum dubiis, & Ecclesiarum ab Arrianis clade, uti clare annotat pag. 163. citatus Author.

Deinde, esto daremus totum, quod ex 2462 illis Mediolanensibus Conciliis, seu Synodis affertur, nihil faceret pro his terris, & in ordine ad non subditos provincia illius Archiepiscopalis; cum contineant solum decreta Concilii *provincialis*, non *generalis*, quæ vim non obtinent extra provinciam; neque vim habent derogandi his, quæ Tridentini, & Pontificum posteriorum decretis constituta sunt. Demum, si rectè attendantur verba primi Concilii Mediolan. *relata num.* 2459. sunt contra ipsos; cum expressè dicant, cereos, & reliqua omnia ita intelligi Deo oblata, *ut ejus Ecclesie sacræ addita sint, ad quam ea, & cadaver deferuntur; sed hæc deferuntur ad Ecclesiam sepelientem;* ergo, si Ecclesia Parochialis non sit Ecclesia *sepeliens*, sed *alia*; ad hujus, non parochialis Ecclesie Sacristiam pertinebunt.

Ante respons. ad decisionem Sacrae 2463 Congregationis, de qua *n.* 2442. not. per *fun-*

funerale non factum, intelligi non factam prius à defuncto dispositionem circa funerales expensas; quo casu, si hæredes defuncti vel noluerunt, vel minus decenter, juxta statum defuncti, funus curare voluerunt, æstimari Romæ solet *quantum*, quod faciendum erat pro funere, & hoc dicitur *funerale taxatum*; sicut *funerale factum*, si ipse defunctus, ante pro funeralibus expensis, reliquit dispositionem; hanc dictorum terminorū explicationem continebat ipsa S. Congregationis impressa decisio, quam ipse legi; quo posito. R. decisionem S. Congregationis in utroque casu Romana illius controversiæ inter dictas duas Ecclesias, factam non præjudicare dictis, nec favere cismontanis Ecclesiis parochialibus, contra alias Ecclesias, quas iteratò jam diximus non teneri ad quartam, etiam intortitiorum. *Non præjudicat dictis*; quia ibi Ecclesia sepeliens contra Parochialem prætendebat *totum funerale factum*, vel *taxatum*, sub quo etiam venit *stola*, seu quod ex funeribus juxta laudabilem fidelium consuetudinem transivit *in debitum parochiæ persolvendum*, situm nempe *in certa pecuniæ summa*, juxta ordinem stolæ; hinc, ut notavimus ex c. *ad Apostolicam*, relato supra num. 2450. hoc nullatenus negari potest Ecclesiæ parochiali ab alia Ecclesia, cadaver parochiani sepeliens; unde merito, & contra Ecclesiam Lateranensem, & illos Regulares pro parochiali Ecclesia decisum est, huic, non illis Romæ deberi funerale factum, vel taxatum. *Non favet etiam Cismontanis Ecclesiis parochialibus*; quia decisio facta est *juxta usum Urbis Romanæ*, receptum ibi, inter Ecclesias parochiales, & Ecclesias sepelientes non suum parochianum; nimirum, *ut quoad intortitia fiat divisio*, & medietas maneat Ecclesiæ sepelienti; altera medietas cedat Ecclesiæ parochiali: hic autem usus non est in his partibus, cum attendi debeat locorum consuetudo, ut constat ex dictis, & in quibusdam ab Ecclesia sepeliente (non exempta ab onere solvendi parochiæ canonicam portionem funeralem) non ubique debeat medietas, vel tertia; sed tantum quarta pars, & à quibusdam Ecclesiis (de quibus à num. 2441.) nihil.

2464 Ad id, quod in num. 2459. sub finem additur, R. 1. N. quod Ecclesiæ, non paro-

chiales Regularium, non habeant *jure communi* jus sepulturæ secularium non suorum, ratio constat ex dict. à num. 2391. R. 2. dato, quod habeant *mero privilegio*, & privilegium privata Religioni concessum non præjudicet locorum consuetudini; hoc tamen non ita crudè accipiendum est; nam immunitas ab onere, solvendi portionem funeralem parochiæ, non est privilegium *privatæ* religioni, sed omnibus Ordinibus Mendicantium competens; 2. non est concessionis *privatæ*; sed Concilii generalis quoad omnes Ecclesias, quæ 40. annis ante Tridentinum fundatæ non erant; aut etiam fundatæ quidem, sed illam solvere solitæ non erant, ut jam sæpe ostensum est; 3. dispositio Concilii generalis, & privilegium in ea fundatum, derogat etiam consuetudini fundatæ *in jure communi*; at consuetudo locorum, quod *in hoc* solvatur *quarta*; in alio, *tertia*; in altero, *medietas*, est consuetudo fundata jure communi; imò ipsum debitum nunc *solvendi aliquid* Ecclesiis Curatis, *occasione funerum*, fundatur *in sola consuetudine jure communi approbata per Ecclesiam*, ut constat ex c. *ad Apostolicam*, de quo num. 2450. ergo immunitas ab onere solvendi quartam ex privilegio competens Ordinibus Mendicantium, & aliis Ecclesiis, fundata in dispositione Concilii generalis, prævalet etiam adversus talem locorum consuetudinem in jure communi fundatam; alia verò, quam Curati prætendunt, jure probata non est, nisi quæ pia fidelium devotione introducta est, ad quam observandam foret obligatio ex dict. c. *ad Apostolicam*.

ARTICULUS ULTIMUS.

De reliquis ad hunc titulum pertinentibus.

2465 **I**Nter casus occurrentes, de quibus subinde quæstio movetur à Curatis, etiam ea esse potest dubitatio, an Religiosus moriens extra Monasterium, v. g. in itinere, vel in domo alicujus secularis, apud quem cum Superiorum venia versabatur, recipiens in agone sacramenta de manu Parochi loci, possit, *etiam irrequisito Parocho* deferri ad suum Monasterium, ut ibi sepeliatur? R. posse; quia quilibet Parochia-

chianus (nisi sibi elegerit sepulturam alibi, vel habeat sepulturam alibi Majorum suorum) etiam invito Parocho loci, ubi per accidens decessit, sepeliendus est in Parochia sua, ut constat ex præmissis juribus, & tradit Layman *l. 3. tr. 6. c. 12. num. 8.* Bordonus *tom. 2. resol. 51. num. 170.* Pelizarius in *Manuali Regular. tom. 2. tr. 8. c. 5. 137. ex Declar. Sacr. Congreg. relata à Peyrino tom. 2. privil. Constit. 7. Pii V. num. 11.* Mancinus *tract. de infirmis, in ordine ad sepult. D. 31.* Hoc extenditur etiam ad Novitios, cum in favorabilibus gaudeant jure Professorum; sic Mancinus cit.

2466 *Questio altera esse potest, an in eo casu, quo cadaver Religiosi in aliena Parochia, per accidens defuncti, ad suam Ecclesiam abducitur, Parocho loci, in quo decessit, debeatur solutio juris parochialis, & quartæ funeralis? Ad 1. negativè respondet Bordonus cit. num. 170. ex declar. S. Congreg. facta, 1620. Mancinus cit. D. 31. Ad 2. pariter R. negativè cum Mancino cit. & Pelizar. cit. num. 137. tum quia id declaravit S. Congregatio 1615. 22. Maji. tum quia debitum quartæ funeralis, & solutio juris sepulturæ fundatur in eo, quod quis sit subditus illius Parochiæ, vel officium funeris illi à loci Parocho sit impensum; & ratio est, quia nullo jure ostendi potest, deberi aliquid Parocho loci, quando exinde ad sepulturam propriam avehitur cadaver alicujus in loco parochiæ ejus per accidens defuncti, quando nullum illi ministerium spirituale impendit; si alleges consuetudinem; teneris probare inductam esse fidelium devotione; non Parochorum exactio, per c. *Ad Apostolicam*, relatum *num. 2450.**

2467 *Neque dicas: ergo saltem ei solvenda erunt jura parochialia, si quod illi spirituale ministerium impendit, v. g. viaticum porrexit, vel extremum Sacramentaliter unxit, esto defunctus inibi sepultus non sit, R. cum distinctione illati: ergo saltem ei solvenda erunt jura parochialia, quæ debentur in ministracione illorum Sacramentorum, transeat; quæ debentur ratione funeris & Ecclesiastica sepulturæ, N. illatum. Si dicas, esse consuetudinem contrariam, vi cujus etiam in tali casu solutio fieri debeat loci Parocho. R. in hac materia claro jure reprobari omnes con-*

suetudines exactio, quæ fiunt à Curatis, & Parochis, occasione funerum, præter illam, quæ piâ fidelium devotione introducta est, c. *ad Apostolicam*, de quo *num. 1450.* id, quod pluribus ostensum est, tum supra; tum *l. 5. tit. 3. de Simonia.*

2468 *Deinde certum est, non quamlibet consuetudinem inducere jus, ut per se notum est; unde frequens usus, quo ejusmodi exactiones continuantur (plerumque cupiditate avaritiæ) sine libero consensu parochianorum (adversus quos talis consuetudo inducitur) imo quandoque consensu coacto (ut in facti contingentia certum est) quia cadaver secus non dimittebatur, nullo modo est consuetudo juris, sed meri facti, cui consensus legalis Principis Ecclesiastici (sine quo nullum jus induci potest) nullo modo vim tribuit. Accedit, quod unus, vel alter Curatus non valeat consuetudinem legitimam inducere; cum hoc sit Communitalis liberè talem usum frequentantis tanquam utilem communi bono, de quo *l. 1. tit. 4. de Consuetud.**

2469 *Tertia questio est, de cujus manu Religiosus, extra suum Monasterium aggrans ad mortem, debeat recipere viaticum, & extremam unctionem? R. quod de manu sui proprii Prælati Regularis, vel alterius ab ipso delegati; si talis adsit, quia sacramenta recipi debent à proprio Pastore; sic Pelliz. cit. num. 138. allegans sic prædicatum esse sapius sine contradictione; & ratio est, quia jus Parochorum non extendit se ad non subditum, at talis infirmus (qui per accidens in eo loco est, & infirmatur) non est subditus, cum nec sit de illius territorio, nec alio titulo illi subiectus tanquam Pastori; ergo nullo titulo talem functionem, tanquam sibi debitam, exigere potest, præsertim, ubi talis infirmus est etiam personaliter exemptus.*

2470 *Quarta questio est, an Rectori Ecclesiæ, in qua certa familia habet propriam sepulturam, liceat alium in eadem sepelire invitâ familiâ, vel possessore, ac hæredibus ejus? R. quod non, nam cum jus sepulturæ in tali loco, *pro se, & sua familia*, ex ipsa istorum terminorum appositione restringatur ad casus expressos, si sine consensu eorum, quorum tale jus est, Rector Ecclesiæ apponeret alium, directe contraveniret illorum juri, si tamen tota progenies*

nies illius extincta sit, multi censent, usum talis capellæ, & sepulturæ aliis concedi posse. Procedit autem resolutio primæ partis tam de fundatore Ecclesiæ, vel Capellæ, in qua sibi sepulturam construxit, quàm de eo, qui in tali loco sibi jus sepulturæ comparavit; de quo Layman *l. 4. tr. 2. c. 13. à num. 14.* sed hoc solum intellige de his, qui sepulturam ibi compararunt, non tamen Ecclesiæ, vel Capellæ fundatore, vel dotatore.

2471 Præterea notand. insignia talium Fundatorum, vel habentium jus sepulturæ, in eorum, aut familiæ memoriam in sepulchro posita, nisi ex gravissima causa, non debere auferri, etiam extinctâ familiâ, propter multas causas, apud Layman *cit. num. 15.* posse tamen interim etiam aliorum novorum benefactorum sepulchra, & insignia in Capellam admitti, sic tamen, ut maneat distinctio, & notio primi Fundatoris; sic Layman *cit.* plurimum enim interesse potest aliquando alicujus familiæ, ubi antiquitas Nobilitatis à pluribus retro annis probanda fuerit, vel connexio familiarum, in quem finem adducta ejusmodi monumenta magnam vim habent.

2472 Not. 2. Confraternitates Laicorum ex consuetudine posse recipere oblationes, dummodo nil sibi applicant, sed in pios usus totum convertant; Fagnanus in *c. Pastoralis*, de his, quæ sunt à Prælat. *num. 22.* nec quartam funeralium deberi Parocho ex cereis Confraternitatum secularium funera associantium; Barbof. in *Trid. sess. 25. de reform. c. 13. n. 8.*

2473 Not. 3. sepulturam, seu jus liberè recipiendi aliquem ad sepulturam præscribi posse, sic Fagnanus in *c. Cum olim de præscript. num. 25.* nec electionem sepulturæ in alia Ecclesiâ, præter Parochialem posse per Parochum impediri, per Barb. in *Trid. cit. num. 18.* Not. 4. defunctorum cadavera in alterius Parochia existentia, & in Ecclesiis Fratrum sepelienda, prius ad Ecclesiam Parochialem deferri debere ad benedictionem, & ultimum vale à Parocho recipiendum, per Barbof. in *Trid. sess. 25.*

de reform. c. 13. num. 15. sed in hoc tenenda est loci consuetudo.

Not. 5. quòd si proprius Parochus ab iisdem Fratribus moneatur prius, & inquiratur, ac expectetur, ipseque venire recuset, tunc ipsos Fratres posse supradicta cadavera ab adibus defunctorum ad suas Ecclesias recto tramite deferre, ipso Parocho etiam invito, sic Barbof. *loc. cit.* in casu autem, quo defunctorum cadavera deponuntur in Parochiali, ut inde transferantur ad Ecclesiam Regularem, in qua elegerunt sepulturam, nihil deberi Ecclesiæ Parochiali, exceptis juribus Parochialibus, Barbof. *cit. num. 17.* funus autem ducere, & prosequi tenetur Parochus usque ad Ecclesiam Regularem, si in ea defunctus sepeliri debeat, Barb. *cit. n. 23.* & ad hunc spectat declarare, per quam viam exportandus sit defunctus, Barb. *cit. num. 24. qui num. 34.* rectè notat, quòd Parochi non debeant plus exigere pro tumulandis cadaveribus *exteriorum.*

Not. 6. Regularibus sub poena excommunicationis prohibitum esse, secluso speciali privilegio, vel licentiâ Parochi speciali obtentâ, moribundis ministrare Eucharistiam in viaticum, *Clement. 1. de præv. leg.* sed hanc poenam non incurrunt ministrantes illud Sacramentum per ignorantiam, ut constat ex *l. 5. in tract. de Censuris*; quòd maxime procedit de ignorantia *probabili*, qua credit Religiosus Parochiano afferenti, se habere licentiam proprii Parochi ad Eucharistiam eo casu ab alieno sacerdote recipiendam. Tali enim fides haberi potest à Religioso, imò, ut Regularis, præsertim in periculo mortis, licitè ministret Sacramentum Eucharistiæ, sufficit licentia tacita Parochi, vel Papæ, quam tunc adesse rectè docet Quintanaduennas *tract. 5. singulari 3. num. 3. si infirmus alioquin sine hoc Sacramento decederet*; qualiter autem intelligendum sit, quòd inducentes ad eligendam sepulturam in propria inducentium Ecclesia, excommunicentur, *Clement. Cupientes. §. fin. de pœnit. diximus à num. 2435.*

